JACOBI HUNTERI EPISTOLÆ MISCELLANEÆ,

Ornatâ sententiarum concinnitate vestita, sermonis elegantiâ gravida, & pulcbrè plena, faceta, lepida, lauta.

IN QUIBUS

Res tragicæ penè comicè, tristes remissè, severæ hilarè, forenses scenicâ propè venustate tractantur.

Qui manus attulerit steriles intrò ad illas, gravidas foras exportabit.

Lege, vide, ride.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Ex Officinâ Typographicâ Michaelis Rictij,
Anno M. DC. XXXI.

AD
ILLUSTRISSIMUM,
ET GENEROSISSIMUM,
CELSISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
DOMINI, DOMINI
WRATISLAI
COMITIS DE
Fürstenberg, &c.
EQUITIS AUREI
VELLERIS, PRÆSIDIS IMPERIALIS
AULICI CONSILII
FILIUM
ALBERTUM
COMITEM A
FÜRSTENBERG.

PAULUS ÆMILIUS cum devicto Perseo epulum præberet victoriale, admirantibus Græcis, quod

 in

in magno splendidoq; apparatu curiosus esset, dicebat, ejusdem esse artis & felicitatis, aciem bene instruere, & convivium exhibere: illam quidē, ut hostibus sit quàm maximè formidabilis: hoc ut amicis sit jucundissimum. Sed quod fuit unquam tam bene paratum, & feliciter actum convivium, ut omnibus placuerit convivis? Quis ille tam doctus Apicius, quis tam juris condendi, & condiendi peritus coquus, qui omnes norit gulas, omnium placeat palatis? Quicquid vel coctū, vel assum, vel tostum, vel frixum dentibus molitur, & linguâ versatur, id totum bene, vel male sapit secundum temperamentum degustantis & assumentis. Magna est

eſt palatorum varietas : clamant alij hoc inſipidum, hoc inſulſum, hoc nimis aſſum, illud frigidum, intempeſtivum , importunum. Hoc ſatis opiparum, ſed corrugatâ fronte, & ſævo vultu oblatum. Crudum illud , hoc nimis coctum , nimis ſalſum , nimis conditum. Ejuſmodi fortaſſis querelarum convivia plena ſunt omnia. Quicquid ſit, hæc convivarum ingratitudo, & ſiniſtra interpretatio, me certè non impediet, quo minus tentem ſolenni in mundo convivio inſtructo, hanc laudem mihi relinquere, HUNTERUS vixit, dum vixit bene : & qui ſic vivunt, de ſuis convivis benemereri cupiunt. Mundus mihi patria eſt, & priuſquam

 è mun-

è mundo ſum exceſſurus, illique valedicturus, populares meos, id eſt, mundanos pro modulo facultatum mearū apparatis epulis excipere, & tractare operę pretium duxi. Cujus convivij Principem & patronum Te elegi, Princeps nobilitatis, ILLme & GENER^me in mundo Comes; ut ſi quæ convivarum de noſtris dapibus orta fuerit querela, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum tuâ comitate comiter tollatur. Quod ſi fortè plures inter eundum tecum adduxeris umbras, qui comedentes cyathiſſare, & dormientes ronchiſſare conſueverunt, & ferculorum meorum apparatum tam multis non ſuffecturum ſenſeris, præmiſſo

præmisso ad singulos amicos puero, pro tua authoritate jubebis, ut placentæ servent locum. Tu ipse si minus eleganter, rectè ac dapsilè acceptus fueris, à complexu meo abiturus insusurrare mihi poteris, non putabam me tibi tam familiarem. Ita faceto joco, & civili objurgatione simul, & eludes tuos clientes, & pudori meo subvenies, rectèq; consules. Sed bono animo sum, quia scio te pro tuo erga me amore non facilè rejecturum, quod à mea manu venerit: nec mihi difficile erit tuas umbras umbraticis pascere ferculis, similes ut habeant labra lactucas. Mundicies tibi semper placuit, sordes detestaris. Nec ego sordidus esse volo, homo

lautus atq; urbanus, nec faſtidioſa copiâ moleſtus. Fucati verò medicamenta candoris, & ruboris omnia in exilium mittentur: elegantia modò & munditia adhibebitur, nō odioſa, nec exquiſita nimis: tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiā. Liberis, lautis, ſerijſq; pro noſtro captu, & illorum guſtu inſerviemus. Non deerunt, crede mihi, Viri nobiles, clari, illuſtres, qui ferendis mutandiſq; ferculis miniſtrabunt: ferculis dico, ex Suecia, Batavia, Anglia, Gallia, & Germania allatis, quæ tuo palato arridebunt. Tota mea vita venatio eſt, quia HUNTERUS, id eſt, venator ſum, & ero, quamdiu vita comes fuerit, & venari licitū.

Non

Non in una tantum ſylva, ſed multis & varijs hactenus venatus ſum: & quicquid venando cepi, id omne tuæ culinæ dicavi. Nec in uno tantum foro obſonatus ſum: comparavi hinc inde meo ære, quicquid mihi arriſit, bonitate ejus guſtu explorata prius. Varietate ciborum minori cum faſtidio Te alam: nec ullum ferculum erit tam inſulſum, tam inſipidum, quod aliqua parte Tibi non ſapiat, & uti licebit parte, etiamſi totum nō approbes. Sed non ſufficit varietate epularum delectari, niſi etiam vinum adſit læticiæ condimentum, & cœnæ caput. Bibendum enim eſt in convivio, triſtiſque ſobrietas removenda pauliſper, ut ait acerri-

 mus

mus alioquin in Repub. Stoicorum censor Seneca. Ita legimus magnos viros vino indulsisse, & flore Liberi virtutem accendisse, ut animo à servitio curarum soluto, & in exultationem libertatemq; extracto, vegetiorem eum & audaciorem in omnes conatus facerent. Quisquis Catoni ebrietatem vitio verterit, facilius efficiet hoc crimen honestũ, quàm turpem Catonem, judicio Senecæ. Vinum Rhodium pitissando absumendum est, & cum Aristotele, qui nullum magnum ingenium sine mixtura dementię credidit, dicendum: Firmum hercle vinum, & jucundum. Mox gustato Lesbio addendum, utrũque egregiè bonũ, sed Lesbium

sua-

ſuavius. Ego non ex unius tantū racemis vindemiam tibi feci; ſed in cellam tuam introduxi vina varia; quæ nulli dabuntur niſi poſcentibus: ita bibentur ſuavius. Verum enim verò, quemadmodum nihil magis civilitati repugnat, quàm in convivio commemorare quod cibi genus ſit, quâ coctum arte, quanti emptum: ita nihil quoq; eſt incivilius, quàm vina ſua nimis laudare. Quin utraq; & fercula, & vina in menſam hoſpitalem illata, modicè extenuanda: alioquin ſeriò & magno ſtudio apparatum extenuare, eſt oſtentare. Satis eſt bis, aut ter tibi, & tuis umbris dixiſſe, Boni conſulite. Si parùm lautus eſt apparatus, animus certè lauti-

tissimus est. Quod unicum possum COMES ILLme Te tuasque umbras comiter excipiam, mente lætâ, fronteque hilari, ac sermone lepido compellabo, eumq; ad cujusq; ætatem, affectũ ac mores attemperabo. Est ubi loquar severiùs, est ubi blandiùs, est ubi magnificentiùs, est ubi submissiùs, est ubi duriùs: idque quia fiet citra perfidiam, prudentes convivæ prudenter factum interpretabuntur. Si de rebus serijs loquar, severitatem adhibebo: si de jocosis, leporem. Sic enim me docuerunt Philosophi & Poëtæ, à quibus multa mutuò sumpsi, si fateor: vel si nego, surripui. Et quid quæso, potest esse in convivio aut jucundius, aut magis

gis

gis proprium humanitati, quàm sermo facetus? In nuptijs nemo tam inficetus est, quin facetijs capiatur: nec unquam tantum mali est commodis convivis, quin aliquid facetè & urbanè dicant: nec quisquam tam severus, qui in convivio non hilarescat. Adversus ignorantes juvat magnificè loqui, & certè decet, cum viris magnis submissè, cum Mitionibus jucundè, cum Demeis durè: quippe ut homines sunt, ita humaniter vivendum, & loquendum. Longiore prefatione vel excusare, vel comendare ineptum convivium, ineptissimum esset, & ineptissimus fuissem, nisi præludio aliquo prælusissem. Etenim sicut in domibus vestibula sunt

ante

ante januam, & Urbes sua habent suburbia, per quæ adeuntur: ita & convivia sua debent habere præludia. Saginandi sunt boves, & deinde conducendi lanij ad illos mactandos, quemadmodum milites ad mactandos homines. Permittendum est congris congerronibus in aqua ludere paulisper, post vbi coqui venerint cōducti, Dromo desquaābit pisces: Macherio congros & murænas exdorsuabit, quantum potest. Exsquamati atq; exossati pisces, vix palpitabunt amplius. Extra jocum: nulla fiunt convivia, vbi non mortalia committuntur peccata: altilia & volatilia mea ali & volare desierunt, venite ad nuptias. Vmbræ tuæ sat scio, linguam

guam, dentes, & cultros acuent, magno conatu magnas nugas acturi. Tu verò Princeps convivij, exemplo Pamphili ſymbolum dabis & cænabis, ſed civiliter: id eſt, vt tibi ſit panis idem, qui alijs convivis, ijſdemq; ferculis vtaris, quibus cæteri. Expecto Te hoſpitem tum minimè edacem, tum maximè inimicum cænis ſumptuoſis Quid linguam & dentes parant tuæ Vmbræ? Legant & comederunt. Tu ipſe Princeps juventutis ore per aurem accommodato, quod à me hactenus audiſti, bibiſti. Cõvivium inſuper hîc habebis fabuloſum, non vinoſum.

Viennæ Auſtriæ Idib. Januar.

BENEVOLO
LECTORI S.

Legisti multos, & varios Epistolarum latinarum Scriptores, Romanos, Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Danos, Belgas, Anglos, &c. nullius adhuc Sueci (quod sciam) sermonem in posteros Epistolis traditum vidisti: sed hic videbis, & æquo animo accipies. Quot Scriptores, tot modi scribendi. Hic diffundit se verborum multitudine, & circuitione, rerum & sententiarum copiam aut affectat, aut ostentat: ille parsimoniâ verborum bonorum, & brevitate, frugalitatis laudem captat, tenui quodam rivulo contentus, Laconismi amator. Alij reconditas, & exoletas voces aucupantur, ver-

bis affectatis in stylo lasciuientes, & compositione insolenti vtentes, ea scribunt, quæ homines mirentur potius, quam intelligant, more Heracliti, qui de industria adeo obscurabat stylum, vt ejus volumina philosophi sudantes vix intelligerent. Hi contra verbum insolens, quasi scopulum quendam fugiendum esse sibi persuadentes, sermonem amant purum, & elegantem, qui sententiam quam aptißime declaret. Quid vis? quale est ingenium Scriptoris, talis est stylus. Nemo mortalium omnibus horis sapit; quisque pro suo affectu aliquando delirat; hic in illo errore, in hoc alius sibi indulget. Inter literarum proceres, & quos tanquam principes colimus nemo est inventus, in quo alij nihil aut desiderarent, aut reprehenderent. Tullij lingua, si Augustino credimus, omnes in sui admirationem rapit,

rapit, pectus non ita cunctis placet: lingua magis strenua, quàm sapientia. Cicero tamen ita morosus fuit, ut illi non satisfaceret ipse Demostenes, qui etiam exagitatur ut putidus. Symmachus pectore magis validus, quàm linguâ promptus, sensibus celebris, verbis rudis: immò quorundam judicio omnium sapientissimus, sed infantissimus. Næ ille mihi magnus Apollo, qui sapientiam & eloquentiã felici vbiq́. consortio conjungit, qui regit dictis animos, aures penetrat, & pectora mulcet. Politissimus ille Erasmo Politianus quibusdam non est politus, sed obsoletus, & obscuritate affectatâ implicitus. Erasmus ipse, qui suâ eloquentiâ Roterodami statuã meruit, & à multis celebratur pro disertissimo, judicio sui Censoris loquitur putidè, conectit ineptè. Barbarus non ita barbarè, sed tamen eodem censore

 sordet.

ſordet. Bembus, Sadoletus, Polus, malè etiam audiunt, tanquam nimis Ciceroniani, qui ideò infeliciter currere dicuntur, quod pedem ponere ſtudeant in Ciceronis tantum veſtigijs. Sed ſcias hos in eloquentia profeciſſe plurimum, quibus maximè placet Cicero. Inhoneſtiſſimi ſunt, qui negant honeſtiſſimum eſſe Ciceronis veſtigia in eloquentia ſequi. ô cenſores maximè felices; cum primùm illis imitari Ciceronis imitatores contigerit. Mihi certè tantum otij non ſupereſt, vt in probra Ciceronianorum calamum ſtringere vacet, quorum diſcipulus eſſe malim, quàm cenſor. Non eſt tamen vnicus ille, quamvis Romanæ eloquentiæ princeps, & reliquorum dux imitandus: quia nunquam par ſit imitator auctori. Hæc natura eſt rei. Semper citra veritatem eſt ſimilitudo Eraſmus ille, cu-

jus

jus ſupra memini, in illa eſt hæreſi, vt credat Horatium non temere exclamaſſe, ô imitatores ſeruum pecus! & inſuper ait ſuo ſe tempore vidiſſe quoſdam, qui ſe totos addixerant exprimendo Ciceroni, frigidos & elumbes euaſiſſe: maluitq́; Epicteti rudem & impolitam phraſin, ſed naturalem, quàm Iſocratis omni floſculorum genere exornatam. Vtcunq́; ſe ea res habet, ſine imitatione nulla datur ars, nullum reperitur opus artificioſum. Artis eſt bene loqui, & poſſe dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere, voluntates impellere, quò velis, vnde velis deducere. Artis eſt mandare literis cogitationes ſuas, easq́; ita diſponere & illuſtrare, ut alios delectent, auctoreḿq́; ipſum laudibus exornent. Artis eſt lautè, & minimè ſordidè ſcribere, vt homines tua ſcripta non

 ſolum

ſolùm legant, verùm etiam libenter, ſtudioſéq; legant: quæ omnia ſola eruditorum imitatio præſtat. Qui nullum imitatur, magis mutus eſt, quàm piſcis. Ex auditu, infantium lingua ſoluitur, & balbutire incipit: ex lectione, auditione, ac meditatione juuenilis & virilis calamus currit. Sed ægrè & minus expeditè loqui diſcuut parvuli, qui ſolos parentes audiunt loquentes: quò plures audierint diſertos, eò faciliùs & feliciùs verba facturi ſunt. Qui ſolum Ciceronem in ſcribendo imitantur, beatiſſimam quidem verborum exquiſitorum copiam, & elegantiam habent; ſed rerum, & ſententiarum pondere minus graues ſunt. Res autem non verba volumen faciunt. Epiſtolæ verò ex egregijs æſtimantur ſententijs, quæ animum formant familiariter ab eo receptæ. Sed fruſtra audimus & legi-

& legimus multa, nisi eadem loquendo, & scribendo ad usum transferamus. Ego posteaquam vidi tam multos mihi scripsisse, volui illos imitari non dominos meos, sed duces, & alijs scribere. Quod præcursoribus & viæ Appiæ monstratoribus honori fuit, id sequacibus, & praeuntium vestigia legentibus vitio verti non debet. Liceat mihi ire ijsdem itineribus, quibus illi laudem invenerunt, magisq; dandis, quàm accipiundis literis amicitias pararunt. Eam imposui calamo escam, quam sciebam appetere vota lecturi: multaq; scripsi, non quia mihi placebant, sed quia placitura erant, quibus destinabantur. Quid multis? Legisti clarorum virorum epistolas, cum suauitate, voluptate & utilitate: lege & meas, si placet, sine ira, sine odio, sine invidia. Non adeò inhumano es ingenio,

 neq;

neq; tam imperitus, vt nescias quàm difficile sit Satyram non scribere. Licuit Erasmo scribere Colloquia? liceat mihi jussu Sapientissimi Regis respondere stultis secundum illorum stulticiam: liceat dictis castigare illos, qui ad miserunt in se culpam castigabilem: liceat verbis verberare verbereas statuas, qui magnificè extulerunt sese ex Ecclesia Catholica, Patres ejus & Doctores ludificati. Ne dicas quæso, doctiora esse omnia aliorum errata, quam mea bene dicta. Ita vale, & Veritati odium parienti fave.

JACOBI HUNTERI

EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

EPISTOLA I.

GUSTAVO CHRISTIERNO HORN, *Baroni Sueco.*

Suâ & majorum virtute nobilissimo S.

Nihil æquè molestum est, nihil acerbius, quàm diu suspensum teneri. Maluntnonnulli, & satius esse putant amputari spem suam, quàm protrahi. Quare veritati congruũ arbitror, quod ille comicus dixit. Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adijcis? Inde ille ingenuus, & ab omni fuco alienus dolor in hæc verba prorumpit: fac si quid facis, qui citò dat, bis dat. Non est tanti, æquiore animo ferò, si mihi statim deneges: ubi satietas animum cepit, & tædio affe-
ctus

ctus est, incipit humanitatis officinm odisse, dum expectat. Hæc uti aliquando vera esse concedam, ita etiam sæpe usu venire scio, ut dilatione expectatio nutriatur. Quod differtur, non auffertur: & sat citò, si sat benè. Piscatores sæpe jactis in mare retibus nihil sunt assecuti, cum postea autem jecissent, magnam piscium copiam acceperunt. Ita nos quoque expectamus, quod totum simul repentè ostendet fructum maturum. Nam agricola postquam agrum vomere proscidit, & semina in terram conjecit, diu multumq; expectat, bonâ interim spe animum suum oblectans, & repentè videt undiq; fructus simul emergentes: hoc quoque in nobis futurum præstolemur. Philosophus Cynicus petijt ab Antigono rege talentum, qui respondit tantum donum excedere Cynici capacitatem, & majus esse, quàm ut homini paupertatem professo conveniat. Cynicus repulsam passus rogat denarium, sed sibi responsum habuit tam exiguum donum esse infra magnitudinem regiam, suæq; indecorú majestati. Quid tibi videtur, mi Baro, de ejusmodi cavillatione? fæda profectò & valde turpis est meo judicio. quippe viam adinvenit, quâ utrumq; recusaret. In denario regis pompam & magnificentiam, in talento Cynici vilitatem,

tatem, & incapacitatem consideravit: cum potuisset & denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam Rex. Fateor equidem aliquid majoris esse pretij & valoris, quàm ut Cynici sordes deceat: sed nihil est tam exiguū quod non honestè rex liberalis, & humanus tribuere possit. Illius ego Antigoni Sophisma imitari possem, quamvis rex non sim, si modo animus mihi esset silere, aut nihil prorsus respondere brevi tuo epistolio, quo me ad literarum certamen comiter invitas. Aut longas à me petis literas, aut breves: longæ tuarum nō conveniunt brevitati, breves scribere, non est mei moris. Sed philosophari malo, quàm cavillari tecum, cui verba dare difficile est. Sicut in lusu est aliquid pilam dextrè, ac doctè excipere, sed nomen boni lusoris nec mereri, nec tueri potest, nisi qui eruditâ & expeditâ manu remisit, quàm acceperar. Lusus enim imperfectus est, & ludibrio dignus, qui non consummatur vicibus mittendi ac remittendi. Pila, quæ aut mittentis vitio, aut accipientis culpâ cadit, in aëre volat, & in cursu suo perseverat, ubi inter manus utriusq; peritè versatur, scitè ab utroque & projecta & accepta. Operæ autem pretium est, bonum lusorem aliter illam cum collusore remotiori, aliter cum viciniore

tractare. Si cum veterano,& rei palestricæ perito commercium est, majori cum audacia mittet. Utcunq; enim venerit, manus illam longâ exercitatione docta relegabit. Si cum tyrone,& novitio palestricis istis sacris recens initiato lusus sit, non necesse habebit omnia pro suis viribus agere, non tam duriter, nec tam rigidè se geret, sed remissiùs ei occurret, quasi in ipsam ejus reducturus manum. Age ergo intremus vicinū hoc & spatiosum sphæristerium, periculum facturi virium nostrarum, quid possint in certamine benevolentissimi affectus, quem ego alacriter ludendo lubens mittam,& remittam,manu robustâ,forti,agili,quoties & quamdiu volupe tibi fuerit hoc exercitio incalescere, & in ejusmodi ludo sudare,ibiq; famem obsonare. Vale,& dictum puta. nempe ut curentur rectè hæc.

EPISTOLA II.

PETRO CRUSIO

Nobili Sueco,

In Festo S.Petri Apostolorum Principis vincto.S.

PApæ! quid hoc sibi vult,mi Crusi? Túne in vincula conjectus es? Ob quod facinus? tuum ne,an alienum? Dic syncerè,

dic

dic candidè, sine simulandi & dissimulandi studio. Quid quæso commeruisti, ut hodierno potissimum die, quem universalis Ecclesia memoriæ S. Petri Apostolorum Principis dicavit, & festum celebrat, quadrupes constringereris? Nihil respondes? Cur siles? cur suspiras? Christiani ne sunt, an pagani, qui te captum, & ligatum tenent? Vah! Socratice tecũ ago, nec ullum verbum à te extorquere possum. Intempestivè profectò Pythagoricum agis. Quis tibi hoc importunum silentium imperavit? Pythagoras, an Cræsi filius? Quicunq; is sit, ego vehementer hoc pertinaci tuo silentio excrucior, & parum abest quin iræ impotentiâ ruam in istos lictores. Sed si unquam ullum fuit tempus, cũ ego voluptati tibi fuerim tui custos, tutor, curator: obsecro ejus ut memineris, atq; liberâ confessione audacter luctum tuum ut aperias, eumque mecum ex æquo dividas. Equidem magis me mordent tui compedes, quàm teipsum gravant, qui onus sustines, & vinctus jaces in carcere sordido, immundo, impuro. Sed mitte suspiria, atq; rem ipsam accuratè perpende, num vincula feras propter Petrum, vel propter Crucẽ. Si propter Petrum, Petrus te suo exemplo solabitur: si propter Crucem, crux Crusium liber-

berabit, & oblectabit. Petrus prædicavit Judæis scandalum, gentibus stultitiam: sed cum ab utrisq; vapulasset, à conspectu Concilij abijt gaudio plenus, quod dignus habitus esset, qui pro nomine JESU virgis cederetur, & contumeliâ afficeretur. Petrus ligatus erat pro Christo: tu pro Petro vinctus es. Non debet discipulus bonam doctrinam, & salutare exemplũ sui præceptoris aspernari: neq; servus fortunã domini recusare. A bove majore discit arare minor, & veterani militis exemplo instruitur tyro. Non irascatur æger putridus medico urenti, & secanti: neq; sus minervam doceat. Si tuus Petrus patitur propter Apostolum Petrum, mercedem Apostoli accipiet. Si Crucius propter Crucem cruciatur, crux Crusium exaltabit. Imitetur Crusius Cruciferum, quemadmodum crucifer Crucifixum imitatus est. Crux transitum fecit à locis suppliorum ad frontes imperatorum. Insultent Judæi & Pagani crucifixo Christo, video ego in frontibus regum crucem Christi. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? Gaudium illud superat captum humanum: nulla aurium, nulla oculorum, nulla reliquorum sensuum voluptas est cum illo conferenda, videre DEUM, esse cum DEO, sanctum esse cum

cum sanctis; DEUM habere in æternùm, & ultra. Quid vis amplius? Si multæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, considera quãtam sit delectationem allatura beatifica ejus visio, qui omnia delectabilia fecit. Si jucunditatem parit mens sana in corpore sano, cogita quàm jucunda erit ille salus, quæ cruce sua, & prætioso sanguine mundo salutem dedit. Si dulcis est vita creata, considera probè quàm suavis sit vita creatrix, nostræ servatrix. Crede, ama, regna: & vale mi Crusi, Crucis & Crucifixi discipule.

EPISTOLA III. *Ambsterod.*

JOANNI SALVIO, J. C. *Sueco.* S.

Literas tuas boni erga me affectus plenissimas nimis libens legi, teq; illarum authorem, à quo profectæ sunt hîc admiror, & alibi venerabor. Quod autem opinione fortassis tuâ serius ijs respondeo, factum hoc est non tam occupationibus meis, quàm quod tardè in manus meas peruenêre. Bibliopolam lectis tuis sine mora adij,

dij, & tot Bertianæ Orationis exempla, quot supererant, meo ære ab illo impetraui, quæ nunc in unum fasciculum compacta officiosè tibi transmitto, vt per te illorum latorem, monstratorem & distributorem, academiæ Vpsaliensis alumnis palam fiat, Paulinum Philosophiæ moralis ineptum Censorem, meruisse justam Bertij censuram, quod magno conatu magnas nugas egerit, dum pro sua episcopali scilicet authoritate tentarit è finibus Scholarum & Academiarum Ethicam, ut vocat, Ethincorum exterminare, ejusq; loco substituere suam (si Dijs placet) Christianam. Quam quæso Christianam? Etenim si alia est Ethica, Politica, Oeconomica, Christiana, quàm Ethnica; quidni alia etiam physica, Medicina, Mathematica, Logica, Rhethorica, Gramathica deniq;? & proptera alia cognitio rationalis in Ethnico, alia in Christiāo? Nihil est enim in Intellectu, quod non prius fuit in sensu: quia deficiente hoc, deficit ille. Philosophia verò nihil aliud est, quàm cognitio quædam intellectualis beneficio sensuum nata & introducta: quam si baptizati diversam & distinctam habent à modo intelligendi & philosophandi gentilium, cur non aliam etiam habent cognitionem sensi-

ſenſualem fideles quàm infideles? alium modum videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi, tangendi? quid enim obſtat? Verùm non aliter ſentiunt pagani, quàm Chriſtiani: quod illis album, nobis non eſt nigrum; quod illis videtur rubrum, nobis non apparet cæruleum; ſed pari modo de coloribus & illarum differentia judicamus. Sonus grauis & acutus, qui illorum auditum lædit, noſtrum non demulcet; quid bene oleat, quid malè, odoratu explorant nobiſcum; quid dulce, quid amarum, quid acidum, quid acerbum, quid ſalſum, quid inſulſum, guſtu non minus probant, quàm nos; quid calidum, quid molle quid durum, tactus illorum tam bene indicat, quàm noſter. Vt paucis dicam; vident colores, audiunt ſonos; olfaciunt odores, guſtant ſapores, tangunt tactilia eodem modo quo nos: ita qui pariter ſentiunt, pariter intelligunt, quia modus intelligendi ſequitur modum ſentiendi: neq; aliter ratiocinantur Ethnici de rebus naturalibus; moralibus, mathematicis, quàm Regenerati, cum habeant principia ſentiendi, & intelligendi communia. Verùm enimuerò ſicuti vulgus philoſophiam vocat Pythagoricam, Socraticam, Platonicam, Ariſtotelicam, Epicuream,

Stoicam, ita Paulinus superstitiosè credit, & aniliter docet aliam esse Ethicam Paganam, aliam Christianam: illamq; tamquam impuram meretricem, gentilium sordibus conspurcatam expellendam esse, vt in Scholis & Academijs locus detur castissimæ matronæ Ethicæ Christianæ. At non est dicenda neq; Christiana, neq; Pagana, nec Iudaica, nec Mahometana: sed quicquid á baptizatis, & Circumcisis, & gentilibus de bonis moribus rectè dictum reperitur, id totum pro vera philosophia morali approbandum est. Sapiens sapienter philosophatur: Paulinus verò suæ hæresi addictus, hæreticorum more stultè debacchatur, & non solùm tuo judicio Episcopus scilicet egregiè desipit; sed etiam Stregnensis lyræ fidicen insigniter delirat. Ubi se putat regulam & authoritatem sacrarum literarum sequi, ibi sequitur suos errores: quos Vir Cl. P. Bertius Lugduni Batavorum publico scripto notavit, & ante illum quidā in Academia Suecorū Upsaliensi propheta, nomine JONAS MAGNUS, Philosophiæ moralis defensor mundo deridendos propinavit, & authorem ipsum philosophico stylo pupugit, & insuper aliorum armis confodiendum exposuit, satis cum periculo. Equidem nisi Suecorum

Achil-

Achilles, GUSTAVUS ADOLPHUS illum Ethices defensorem suâ authoritate defendisset; Propheta cum sua prophetia ex academia deturbatus, & in exilium præceps datus fuisset. Paulinus etenim simul atq; inaudiebat, argumenta sua contra Ethicam Arist. ab ejus propugnatore pro ludibrio ac delectamento habita esse; & censuram suam in Spongiam prophetę incubuisse; illicò misit qui illum verberibus cæsum in pistrinum dederent usq; ad necem, ea lege atq; omine, ut si illum inde exemerit, Episcopus pro Propheta molat. Jonas ille Magnus; Philosophiæ moralis defensor, Episcopi sententiâ condemnatus; & sacro percussus fulmine, metuens ne piscibus devorandus objiceretur, ad Augusti sui pedes supplex confugit, nihil aliud petens, quàm ne vivus sepeliretur in ventre Balenæ. Augustus motus insolentiâ Episcopi; & prophetam in præsidio suo manere, & edictum Antistitis in conspectu suo lacerari jussit; & ex scopis dissolutis invicē contusis offam parari bestijs marinis, quæ JONAM expectabant. Deinde Paulinum graviter increpavit: Ex Academia, inquiens, rapi Prophetas meos, & quidem MAGNOS imperas, & à tuis lictoribus quadrupedes constringi, & loris cædi liberos? Tantum

ne tibi placebis, ut illum tu capite deminui jubeas, quem ego academiæ caput feci? Et si tu Prophetam meũ in malam crucem abripiendũ esse censes, philosophiæ morali qui auxilium tulit: quid alij facient tibi, qui dare damnum aut malum voluisti? Finitâ hac objurgatione, quâ Antisteti Stregnensi aurẽ modicè & civiliter vellicavit, JOHANNI SKITHIO è vestigio insusurravit, illum nunquã fore magnum, cui Paulinus esset magnus: quod ægrè tulit homo novus, qui altâ voce ausus est dicere, tamen, ô Rex, noster Paulinus est Ramæus. Quid mihi, inquit Augustus, cũ Ramo? video te nec legisse, nec audivisse effatum illud Lipsij posteritati relictũ; quod hîc pro re nata repetendũ videtur. *Nunquã ille magnus erit, cui Ramus est magnus.* Tandẽ ad suum Cancellarium AXELIUM OXENSTERN conversus, in quem se reijecit ridens quàm familiariter, eiq; in aurem dixit, se non posse authoritate suâ regiâ impedire quò minus Rameus Rameum, homo novus novũ Philosophũ scabat. Demus, inquit, Rami discipulis veniam, ut nostro Prophetæ suã dignitatẽ sartam tectam in academia servemus. Ita JONAS ille MAGNUS per multas tribulationes, per saxa, per ignes ad suam professionem redijt, quẽ Paulinus philosophię moralis martyrem

tyrem facere voluit, quia Antistiti Stregnensi graviter & sapienter dixerat: non licet tibi uxore tuâ defunctâ aliam ducere, quia Episcopus es; nec novam nobis obtrudere Ethicam, quia antiqua illa adhuc vivit, & semper vivet; quia immortalis est. Equidem solidiora, firmiora, & validiora habet fundamenta, quàm ut removeri possint: Paulinianorum arma nō prævalebunt adversus illa. Descendit pluvia, & confluxerunt flumina, & irruerunt venti in antiquissimam illam Ethicam, & non cecidit, quia fundata est supra petram, non supra arenam. Qui novam nobis vult cudere Ethicam, nova ejus fundamenta primùm collocet: sed alia jaci non possunt, quàm quæ jacta sunt ab ipso naturæ primordio. Et quænam sunt illa? *Omne bonum est appetendum, omne malum fugiendū. Honestè vivendum: nemini facienda injuria: suum cuique tribuendum. Iure naturæ æquum est, neminem cū alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorē. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hæc naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes peræquè custodiri debent: ex quibus Philosophia moralis, & filia ejus aureola Jurisprudentia humano generi natæ & auctæ, vigent & florent.

Hinc est, ut Ethicus & Jurisconsultus eodem se referant, dum quas de virtutibus & vitijs notiones universales in doctrinæ formam inserit Ethicus, illas Jurisconsultus locorum, temporum, negotiorum, personarum regionibus & cancellis percommodè ad usum includit & circumfert. Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jurisconsultus. Ethicus præscribit sceleste atq; impiè facta supplicio afficienda; Jurisconsultus hanc regulam ad certam pænam revocat. Ethicus ponit legem, ut parentes in liberos suos utantur indulgentiâ, ut procreatores procreatos ament, eos vestiant & ornẽt, rebusq; illorũ bene consulant ac prospiciant. Jurisconsultus illorum barbariem & inclemẽtiam punit, qui liberorum suorum curam abijciunt. Ethicus justitiam commutantem ponit mediam inter lucrum & damnum: Jurisconsultus ex hoc notionis fonte contractus justos, emptionem & venditionem, locationem & conductionem, depositum, mutuum, commodatum, & alios tanquam rivulos educit. Ethicus docet, summum jus esse summã injuriam; Jurisconsultus ad hujus axiomatis normam temperat legem, ne capitis pænam subeat, qui alij mortem intulit invitus. Ethicus ostendit æquitatem non esse juri contrariam;

riam; sed jure meliorem, dum quod obscurè & ambiguè loquitur, æquitas benignè interpretatur. Jurisconsultus hinc colligit, quod si quis condemnatus sit simpliciter ad pœnam capitalem, intelligendum esse de exilio: aut si sententia contra aliquem lata sit, quod manus ei amputari debeat, nec expressè dictum quæ manus; intelligi manum aridam, si quam habet; vel alias sinistram, quæ minus necessaria est. Porrò quidquid Jurisconsulti de voluntario & invito, de virtute & vitio, de fraude & malitia, de justitia & jure, de pœnis & præmijs, de cæteris deniq; rebus per totum juris corpus dispersis & fusis statuunt certum, aut disceptant incertum, id totum ex philosophia morali, vel tanquam Apotheca promptum, vel tanquam fonte haustum esse videtur. Inde Ulpianus ipse post elegantem de jure civili dissertationem, uberi filo pertextam, ultrò fatetur, jus civile nihil aliud esse, quàm juris naturalis, id est, moralis philosophiæ quandam moderationem. Quid ad hæc omnia nobis tandem reponet Stregnensis ille? audiamus denuò pulchellum hominem, & virum disertum. Loquatur Paulinus coram Ulpiano, ut Jureconsultus Theologum videat. Pauline, ex Euangelio te alloquor, ephata? A. A. A.

 nescit

nescit loqui. Repentè homo loquacissimus obmutuit. Quis te tam loquaciter litigiosum, trepidum & elinguem reddidit Pauline? quis verbosam tuã simulationem prudentiæ sustulit? Non vis mihi respondere, Suecorũ, Gothorum & Smolandorũ Depositori? An nèscis me potestatē habere absolvendi aut condemnandi te? Membra illius metu debilia sunt, animus timore obstupuit: quia ipsi visus sum dicere, abi citò & suspende te. Sed non sum ita imperiosus, quãvis ille in Suecia basilicas edictiones atq; imperiosas habeat, jubeatq; me abire in malam rem cum suspicione istac, scelus. Loquere, inquã, sanctissime philosophiæ moralis proscriptor, omnibus denotande Censoribus, ut ab illis jure meritoq; proscribaris, & sorex tuo indicio pereas? A.A.A. rudit, non loquitur. Postquam jussus est coram Censoribus verba facere, nõ potest cogitata loqui, ita eum obstupefecit pudor. Sed ubi ventum fuerit ad cœnam, sumat, poscat, promat quod vult, illum facio cellarium. Æternum sibi dapinabit victum, si falsa prompserit pistoribus scrophipascis, qui alunt furfure sues. Post cœnam senati columen præsidiumq; populi ibit ad præfecturam suam, deliramenta & lapides loquuturus. Tunc videbunt bene oculati convivæ

Pau-

Paulino maculari corpus totum maculis luridis, dicentq; atrâ bile agitari hominem, cujus pugnas si audias, fugies manibus demissis domum. Tandem noster cellarius vino languidus, confertus cibo, sertis redimitus, unguento oblitus clanculum sese subducet cubitum iturus, Episcopus scilicet experturus an fęteat anima uxori suæ Episcopiæ, ætatis plenæ. Larvæ stimulabunt virum. Sed si Erasmus Roterodamus adhuc inter vivos moraretur, præcideret uxorato Episcopo interulam supra nates, parva ejus naturalia, virilia illa Episcopia lupinis pellibus convestiret, caligas diversis coloribus variegaret, quæ thoracem tegit, ac brachia totam conscinderet, veluti rete faciens è veste, scapulas & pectus nudaret, barbam ei partim demeteret novaculâ, partim demitteret, partim intorqueret, capillos tonderet, adderet pileum undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic juberet prodire in publicum. Atq; illo modò magis traduceret hominem, quàm si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis, ac tintinabulis. Extra jocum Erasmianum: Multos Episcopos Lutheranos deliros vidi, sed qui magis deliraret quãm Paulinus, vidi neminem. Omnia tamen Episcopia ejus deliramenta

menta Upsaliæ patienter & legimus, & audivimus; audiat etiã ille Majestatis nostræ depositæ responsa. Audiat S. Basilium salubriter monentem, conjungendam esse lectionem prophanorum, & sacrorum librorum: sive eadem dicant, & valet consensus, sive diversa doceant, & valet collatio. Audiant Pauliniani Lactantium, qui in institutionibus suis divinis fidem nobis facit, facile esse docere universam pene veritatem per Philosophorum sectas esse divisam: nec ullam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quenquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasq; diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis. In Trismegisti ore non tam videtur habitare Plato, quàm in pectore Paulus. Divinus ille Plato, cujus pectus & linguã mirantur omnes, mundum à DEO creatum esse dixit. Idem Prophetæ loquuntur, idemque ex Sibillæ carminibus apparet. Quid Socrates? non putabat satis esse verbo fateri unum Deum, voluit fidei professionem suo insuper sanguine consignare, ut haberet philosophia moralis suum martyrem. Eodem ille vultu carcerem ingressus est, quo aliquando solus

tri-

triginta tyrannos in ordinem redegerat. Ubi etiã triginta dies in expectatione mortis exegit., & cum aliorum ope & operâ sibi oblatâ exire & fugere posset, noluit. Quæris quamobrem? ut duarum rerum gravissimarum metu homines liberaret, mortis & carceris. Bonus magister quæ verbis docuit, vera esse probavit factis. Aristoteles in physicis est homo, in Ethicis est Deus. Unde quidam celebris & promptus ingenio Italus, in admirationem raptus illarum præceptionum de Ethicis, Politicis, Oeconomicis, quas generi humano tradidit Aristoteles, castas, sanctas, & prorsus irreprehensibiles, semper in omni disputatione dubitarit, in illis scribendis plúsne haberet Jurisconsulti, an Sacerdotis; plus Sacerdotis, an Prophetæ; plus Prophetæ, an Dei. Ciceronem in officijs, in Tuscul. quæstionibus, in libello de senectute, de finibus bonorum & malorum, in omnibus deniq; opusculis philosophicis, qui non admiratur tanquam sapientem, næ ille apud sapientes omnes valde insipiens. Seneca Philosophus non fuit Christianus, & tamen Christiani summã in illo agnoscunt prudentiam, Christianis dignissimam: non fuit electus, & tamen electis verè electa scripsit, vir natus ad sapientiam animis infunden-

dendam. Sunt in *S*uecia OXENSTIERNII, GULDENSTIERNII, BIELCHII, HORNII, BANNERI, SPARRII, quibus tanti vitreum non est quanti margaretum; qui probè sciunt plus esse veræ philosophiæ in Epistolis Senecæ, quàm in omnibus Paulini dictatis, & disputatiunculis: quas non credunt.

Albano Musas in monte locutas.

& tu ipse, mi Salvi, qui novam Episcopi Stregnensis Episcopiam nō pluris facis, quàm ancillam illam, quæ Plauto olim latrinam lavit. Ita Paulinum absolvo ab omnibus erga philosophiam moralem bene meritis, quæ nulla in illo reperio; talemq; tuâ & aliorum oratione conterendum dimitto, qualem accepi. Quod si quis me malè meditatum fuisse, aut malè dicacem dixerit; responsa ad illum hæc referenda dabis ex tuo Comico. *Indignis si malè dicitur, malè dictum id esse dico: verùm si dignis dicitur, bene dictum est, meo quidem animo*: qui bonos milites hic imitor, eâdem manu salutem mittens benevolis, quâ malam rem malevolis affrico. Causam philosophiæ moralis contra ejus hostem vehementer me egisse fateor, iracundè nego. *Non potuit melius litem finire jocosam.* Quis? Tuus Hunterus. Vale. Lugd. Batav. 8. Cal. Julij, M.DC.XX.

EPI.

EPISTOLA IV. *Milostochiam.*

HANONIO PULCHRO BORGMANNO S.

NUllum erga te officium hominis amantissimi prætermisi, dum benevolentiæ meæ aculeum tibi,& petitioni atq; indigẽtiæ tuæ locum relinquerem. Sed bona mea tibi commisi, & tuæ mandavi fidei parum, ut video,circũspectè,tuo commodo,meo cũ incomodo. Equidem reditum tuum in patriam à tuis desideratissimũ numeratâ pecuniâ cupidè ac studiosè ꝓmovi. Vẽtos adversos,quibus hic jacebas detentus, nõ bonis tantũ artibus sustuli, verùm etiã secundos, quibus in patriã leniter revectus es, meo ære tibi creavi. Tu verò ad tuos redux, magnidicorũ promissorũ,& aureorũ montium imemor, fidem tuã dictis, & scriptis prolixè datam non dũredemisti, qui ne verba quidẽ amplius pro farinis das. Hoccine est humanũ factum,aut inceptũ? hoccine officium popularis? prô Deum atq; hominũ fidem quid est,si non hæc injuria est. Quid putas,famã & existimationem suã lædere,si hoc esse nõ putas? Nõ te pudet mei pudoris,q te tã leni passus sum animo usq; adhuc,q meũ defraudavi geniũ, ut tu tuo genio indulgeres?

geres? Verùm enim verò cujus infidelitatem in nummis hactenus perſpexi, ei ego verba inſuper credere non dubitabo.

Iuris iter longum, juſticiaq; breue eſt.

Si mihi pergis quæ non debes facere, ea quæ non vis audies. Benefactis ſi mecum certaſſes, audiſſes bene. Deſine quæſo malefacere, malefacta ne noſcas tua. Si benefeceris, tua ripâ te ſequar; ſi malefeceris, tuo non gradiar limite; ſed tuis te depingam coloribus. Dic mihi, pulchellule ullam cauſam, ineptam ſaltem, falſam, iniquam, cur mutuum mihi in hunc uſq; diem non reddideris, & phyllida ſolus habebis. Non potes cum Satyrico dicere, quid Romæ faciam? mentiri neſcio. Idem enim Milohæ facis, quod Romæ faceres. Cum mutuũ à me peteres, linguâ, ore, oculis, & manibus mihi blandiebaris, caninam prudentiam imitatus. Quid facit canis eſuriens, cum in heri manu os videt? adulatur, lambit, blanditur caudâ, dum oſſe potiatur; ubi hoc obtinuit, tenta ejuſmodi bolum è faucibus ipſi eripere, & minaces dentes videbis, non mulcentem caudam. Mutuum dare amicos, mutuum repoſcere, odium parit. Au preſter Couſin, au rendre fils du putain. Quid faceres, ſi quis nũc te roget? aliquid faceres, ut hoc ne faceres, ali-

aliquid faceres, ne fidem tuam labefaceres. Vah, nimis Lutheranicè mecum agis, minus familiariter cum familiari, parum amicè cum amico. Non vis videri credere ad veram pœnitentiam agendam, necessariam esse satisfactionem, ne tu videaris Catholicus. Doleo te habere rationem rectam, gauderem si haberes regentem. Quemadmodum Jurisconsulti in suo cuique jure tribuendo sapienter monent non esse habendum respectum personarum, ita neq; Casuum. Tu tamen qui Jurisperitus vis videri, Ablativum casum magno æstimas, Dativum, aut potius Redditivum parvo. Ubi hunc in majore pretio habere cæperis, ego te in ore atq; animo habebo, conversionem tuã ad bonam mentem meis sermonibus illustraturus. Scis mihi reddere quod meum est? sapiens es. Vis? justus. Audes hoc facere, propter metum Judæorum? fortem te vocabo. Dij date Geltborgero facultatem pariendi, & restituendi mihi quod debet, ut ex ejus argento mortuo fiat virum.

Te mihi devinxi credebam cum tibi nummos,
Me tibi devinctum vis? mihi redde meum.

Vale. Lugduni Batavorum, Prid. Cal. Julij, M. DC. XX.

EPISTOLA V. Lugd. Bat.

CAROLO BANNER, *Suecorum Optimati, avitis paternisq; virtutibus simillimo S.*

OFficium scriptionis usurpo seriùs, quàm vel debui, vel opinio tua tulit. Culpam tarditatis excusabit, frigus illud horrendum, quod in mari corpus meum alioquin imbecillum invasit, & manus meas effecit torpentes: quæ quia à fonte caloris remotæ, frigus illud tenacissimum nondum exuêre, frigidas ad te calamo vacillante scribunt literas. Ubi frigore pulso satis superque incaluerint, non tepidas, sed calidas dabunt. Popularis noster Falchius Sudermannus, nescio quam tonstrinam Britannicam ingressus, & quorū Chirurgorum operâ usus, qui illum suis ustionibus & sectionibus gravissimo morbo, febri ardentissimæ concoquendum & conficiendum dederunt; sed quam ipse cervisia Anglicanâ illicò extingui posse sperabat. At at hinc illæ lacrymæ, spe suâ frustratus, bilis plenus, moræ impatiens, non vulgari iratus iracundiâ navim conscendit Dordrechtum redituram. Ibi nisi biliosum humorem, quo ipsum nausante reliqui, prorsus evomuit, febrili suâ sine dubio facundiâ conabitur omnia malè narrando & in-

& interpretando rectum tuum de Anglia judicium depravare. Sed si te rectè novi, noster Sudermannus suæ cum famæ jactura, & existimationis ludibrio debacchabitur, nihil nisi febrilia loquuturus somnia, quæ simplicioribus & semidoctis fortassis observanda videbuntur, tibi nihil nisi vana, & omniũ cachinnis deridenda. Ubi Londinum DEO favente veneris, dices cervisiam Londinensem Rostochiensi olim à te adamatæ longè præferendam. Cælum ego tum amœnissimum, tum saluberrimum hic offendi, & quod plus est, tantum candoris & inculpatæ hilaritatis, tantum humanitatis & eruditionis solidæ, ut non verear gloriari, quod mihi contigerit tam candidas & innocentes animas nosse, quales hæc tellus Anglicana alit. Et quamvis modò mediocri saltem viatico sim instructus, literarum tamen siti compulsus ad Academiam Oxoniensem, omni studiorum genere florentem lubens pertrahor, ut ubi Viros, quos habet exquisitâ doctrinâ præditos coram exosculer. Illos veluti gnarus & avidus negotiator omnibus modis compilare studebo, & si quid bonæ frugis ab ijs haurire potero, quod fortassis progressu temporis in solidam & maturam virtutis indolem evadet, unde patria messem

aliquam utilitatis ſperare poſſit, proximo deinde vere, ſi DEUS mihi vitam & valetudinem benignè conſervarit, vela retro flectam, mercibus Anglicanis onuſtus, in complexum veſtrum faventibus ſuperis rediturus. Interea niſi gravis aliquis caſus, & ex tranſverſo incurrens me retrorſum rapuerit, diligenter expiſcabor, quæ ſit vivendi commoditas pro peregrinis in Academia illa Oxonienſi; quam ubi ipſe plenè & perfectè expertus fuero, tecũ literis meis communicabo. Fruor enim hac perſuaſione, tibi non ingratum & injucundũ futurum, quicquid iſtud fuerit officij. Vellem occaſio ferret, ut majori in re meam ergà te obſervantiam teſtari poſſem. Plura hîc non addo, niſi ut valeas, & me ames tui amantiſſimum. Londini XIII. Cal. Octob. M.DC.XX.

EPISTOLA VI. *Lugd. Bat.*

CAROLO BANNER, *domi ſplendido, foris gratioſo. S.*

SI Ampliſſimo ablegato Falchio, ex Anglia in Belgium properanti, comes ad vos redeundo feſtinaſſem, crumena mea tot rugas non contraxiſſet, quot nunc præ ſenio collectas habet: copioſiore ſanè auro & argen-

gento distentam, propitia Belgis Numina eam à me recepissent. Regius ille ablegatus observavit pro re nata, & opportunè usurpavit vetus illud; Nocet differre paratis: reditum suū maturare coactus à publicis negotijs, quibus promovendis omnes suas curas atq; cogitationes consecrare tenetur, ni velit partibus demandati officij deesse. Ego naturæ meæ semina sequutus, lentiùs festinandum operæ pretium existimavi, motus & victus illo vulgari,

Differ, habent parva commoda magna mora:

commoda, inquam, viatico inimica, & nummorum edacia. Sed quid mirum, quid novū? Musarum mare tale est, cui placet ingrediatur, & experiundo discet, navigantes in Oceano literario sine naufragio nō dimitti. Quippe vel ad Ulysseam quandā prudentiam comparandam, qui mores hominum vidit & urbes, pecuniam profundere necessum habemus. En voluptatem, quam ipse in Academia Leydensi biennio perpetuo cum solenni jactura emisti: sed volupe est præsertim tibi, tuique similibus, ejusmodi patrare mala, ut eveniant bona. Cæterùm cum virtutis amore nihil sit in rebus humanis præstabilius, pergant quæso fortunæ beneficio divites, animū

naturâ bonarum rerum inopem, veris bonis ac perpetuis ornamentis locupletare, expolire, illuſtrare: corporis formâ conſpicui, mentem virtutibus exornare, ut ea minima ſit in illis pars nobilitatis, quam vulgus totam nobilitatem eſſe putat: quæ profectò tum demum erit in omnibus vera, clara, generoſa, illuſtris ac ſuſpicienda, cum pro chartis, alea, & poculis tractabit eximios, ac veneranda antiquitatis codices, pro alijs vanitatibus, & pœnitendis voluptatibus amplectetur virgines Camænas. Te igitur, una cum cæteris popularibus nobiliſſimis hoc literarum commercio familiariter alloquor, corpore abſens, animo præſens; ut gaudeatis, qui quotidie magis ac magis in curriculo veræ laudis, atque virtutis progredi ſumma ope contenditis. Facite vobis inſuper ex mammona iniquitatis, aut potius inæqualitatis, ex damnoſo illo nummo amicos, quibus cum familiares ſermones de rebus divinis & humanis ſociare poteritis. Et ſi non dabitur ad illorum famam aſpirare, quos literatus orbis admiratur, pulchrũ erit (teſte Tullio) prima ſequenti, in ſecundis tertijſq; conſiſtere. De vobis tamen nihil non eximium pollicetur indoles veſtra, ad ſumma nata: laborem tantum adhibete, ſine quo vel

ex-

excellentissima ingenia, quasi pestilente sydere afflata contabescunt. Et quod primo loco dictum oportuit, preces humiles & devotas, pro matura & solida virtutis messe colligenda, supremo Numini assidui porrigite, sine cujus afflatu nemo vir magnus unquam fuit. Sed nihil opus admisso subdere calcar equo: immò sui officij memores, & currentes monere nihil nocet, exemplo summorum Ducum, qui congressuri contra hostem, ferro & telis depugnaturi, illis potissimũ Suadâ & oratione suâ flexanimâ stimulos addunt; quos audaciâ armatos, sublimi rectoq; animo ad confligendum vident. Ego ad imitandum mihi proponam Scipionem Africanum, quem ferunt dicere solitum, nunquam se minus solum, aut otiosum esse, quàm cum solitudini, & otio maximè indulgere videretur. Maximam proinde temporis partem, quod unicum in manu est mea, tacitæ cogitationi tribuam, quam unam vir prudens tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit. Et si præstitero id quod possum, summam omnem officij mei implevisse putabo, nec prudentis aut cordati hominis est amplius quidquã postulare. Precor ut is, cui decet acceptum ferri, quicquid veri boni nobis obtigit, bonam mentem, bo-

num animum nobis servet; cujus misericordia sicuti nos prævenit, ita quoque subsequatur, & talenta nobis concessa multiplicet, promoveat, adaugeat. Vale. Londini, prid. Non. Novemb. M. DC. XX.

EPISTOLA VII. *Upsaliam.*

JOANNI HUNTERO, *Fratri germano. S.*

SI tua, mi frater, interesse putas scire, quis terrarum angulus me suo nunc complexu foveat, narro tibi germanâ fide me in clarissimam insularum magnam Britanniam faventibus superis advectum esse. Quæris quo pacto potuerim infaustâ & damnatâ divisione à nobilissimo Barone Hornio divelli? Cave suspiceris quidquam graviùs de nostra fide, & inflexibili constantia in amore mutuo. Sola mors extinguet hûc ignem, qui nobis interiorem edit medullam. Veniâ patroni mei factum est, quod factû gaudeo. Potissimam tamen huic meæ ad gentem ignotam peregrinationi occasionem obtulit vir Amplissimus Petrus Falch, ad illustrissimos confœderati Belgij Ordines pro tempore ablegatus, qui ad regem Angliæ cum literis profecturus, me itineris sui comitem co-

mitem

mitē elegit. Mare trajiecimus paucorum dierum ſpacio, & opinione noſtra citiùs, quā felicitate nos beavit maris & terræ Imperator, Rex regum, Dominus dominantium, ventis creatis ſecundis, quibus nos ejuſdem benignitate uſi, citra longinqui itineris tædium, citra ventorum ac fluctuum ſævitiem, citra omne vitæ diſcrimen in nobiliſſimam hanc tellurem provecti ſumus. Ampliſſ. ablegatum ad diverſa Angliæ loca & caſtella ſequutus, magni regis magnam aulam vidi, opulentiam, magnificentiam, ſplendorem, & ut paucis dicam, exactiſſimum omnium rerum ordinem admiratus, clariſſimorum virorum conſpectu & colloquio uſus, in quibus multū reperi humanitatis atq; eruditionis ſolidæ. Verùm ut genium Anglorum ſimpliciter, & ſine diſſimulandi ſtudio tibi aperiam, ſunt hîc Viri ubiq; nobiliſſimi, bene docti, & perfectâ multarum rerum ſcientiâ inſtructi, utriuſq; linguæ, græcæ ac latinæ gnari: ſed qui latinè loquuntur, multorum in Anglia peregrinantium judicio minus expeditè, ac parum feliciter. Cujus ſecreti & horribilis arcani cauſam hanc eſſe ſuſpicor, quod in Scholis & Academijs Anglicanis præ nimio ſtudio & cultu ſermonis patrij, uſus negli-

gatur linguæ latinæ, quæ inter cæteras Europæ familiam quasi ducit, trium elegantissimarum filiarum, Italicæ, Hispanicæ, & Gallicæ linguarum mater. Quid vis amplius? Academia Leydensis nova hoc autumno prole aucta est, quam Suecia, communis nostra patria eduxit à parvulo, habuit, amavit pro suo. Sed vir est, ni erres, & quidem Sydermannus, qui quadriennio perpetuo additus fuit custos filijs nobilissimi Broderi Rholambij erudiendis. Hunc ipsum servitio curarum solutum, & in Hollandiam delatum, post aliquam moram Leydæ factam, invasit gloriosa & secunda fama Academiæ Oxoniensis, quæ conjuncta cum ingenij excolendi studio illum in Angliã pertraxit. Ibi novus hospes literarũ siti compulsus, relictâ statim civitate Londinensi, Oxonium rectâ alatis pedibus properavit: quò cum ventum esset, laudabili protinus curiositate inquirere cæpit in Hunterum, contubernalem sibi futurum. Observabat mane Collegiorum socios, venientes aut abeuntes, rogitabat, heus amice, dic sodes, in quod Collegium sese abdidit noster venator? ignotarum sylvarum lustrator, & venandi studio ad vos ductus? Arrectis auribus togati isti socij ultrò benevoli, & benefici cupientes magnis

suæ

ſuæ comitatis atq; humanitatis exemplum in hominem exoticum edere, conterraneum noſtrum è veſtigio ſecum rapiunt in cellas cerviſiarias, & deinde bene poto monſtrant, neſcio quas, venerandas ſuorum Collegiorum antiquitates, quarum examini octiduum dedit; cujus interim animum jucundâ ſpe oblectavit expectatio adventus mei, quo fruſtratus, ne fera beſtia videretur, amiſſa voluntate revertendi, Oxonienſes longum valere juſſit. Londinum deinde reverſus, quod antea in tranſitu, fugitivo ſaltem oculo luſtrarat, ibi ſurſum deorſum curſitando fortè fortuna ſuũ Hunterum reperit, in cujus ſinum, fide & ſyncerâ benevolentia ſibi perſpectum, omnia illicò miracula à ſe viſa & audita onere quaſi preſſus effudit, hoc agens unicum, ut ego ſuis perſuaſionibus victus, conſilium ex tempore caperem redeundi ſecum in Belgium. Sed totis Suadæ, gratiæq; ſuæ viribus, apud hominē inexorabilem in hoc negotio nihil prorſus proficiens, poſtero ſtatim die navim irâ accenſus conſcendit, quæ ipſum in Hollandiam tempeſtivè reveheret. Ita noſter Sudermannus Sudermannum egit, & veluti gnavus & avidus negotiator pulcherrimis mercibus onuſtus eò unde avolarat revolavit. Ego verò

elapso jam spatio bimestri, quod Londini ambulando & cursando consumpsi, jam tandem ad academiam Oxoniensem Deo favente sum abiturus, ut plenè & perfectè discam, quot & quantas ingeniorum delicias illa habeat, quibus exteros in sui amorem atq; admirationẽ blanda vi rapere, & ad se visendam pertrahere consuevit. Deinde Academicarum lauticiarum probè satur, imitabor Deo propitio bestias illas, quæ dominante fame reverti solent ad ea loca, in quibus aliquando bene pastæ fuêre. Et quod Ciconijs familiare est, usu faciam meum: quippe reversus eosdem repetam nidos, quos hactenus incolui. Vale, & culpam prolixitatis imputa Sudermanno. Londini 4. Id. Novemb. M.DC.XX.

EPISTOLA VIII. *Stocholmiam.*

M. PETRO ROSLAGIANDRO *Sueco. S.*

Quemadmodum volucres procreationis, atq; utilitatis suæ causâ fingunt, & construunt nidos, & cum aliquid effecerunt, levandi laboris sui gratiâ, passim, ac liberè solutæ opere volitant; ita & ego biennali otio Lugduni Batavorum peracto defessus, libratis & motis subinde alis, nidum tandem

dem Hollandicum reliqui, & in magnam devolavi Britanniam, quæ me suo complexu excepit 25. Septemb. anni currentis. Ansam & fenestram huic peregrinandi & migrandi studio patefecit Vir Amplissimus, Petrus Falch, regis sui in Belgio procurator, & Hagæ Comitis Residens, cui ad regem Angliæ ablegato Comes ivi vocatus. Is verò expeditis negotijs, suæ fidei commissis, opinione meâ citiùs ex Anglia iterum discessit, reditum suum in Hollandiam, ab officio quod sustinet publico, maturare coactus. Ego genio meo obsecutus, moram aliquam in beata hac insula faciendam judicavi. Sed voluptatē hîc capio, & lucrum facio cum damno conjunctum: quippe vitandæ ignorantiæ causâ patrimonium absumo. Præstat tamen meo judicio, cum pecuniæ jacturâ citò discere, quàm reginâ illâ intra loculos servatâ serò, aut nunquam: nec propterea aliquid metuendum mali à S. Paulo, prohibente fieri mala, ut eveniant bona. Utantur isto colore avari, quibus nihil præter pretium dulce. Nos Gordium istum nodum facilè, & quidē sine malo cuneo solvemus, adhibito duntaxat distinctionis emplastro inter mala, quæ dicuntur physica, molesta & incommoda, & inter illa,

quæ

quæ sunt contra bonos mores, verè turpia & inhonesta, à quibus cavendum, aut in pistrino, non Plautino, sed infernali molendum. Verùm paucis philosophandum censeo, cum quibusdam, & ijs non indoctis, totum hoc displiceat philosophari. Dicamus potius optimam nostræ ætatis portionem esse fugacissimam: nec unquam reverti semel elapsam. Proinde qui aurum habent congestum consumant, profundant, perdant, & pro bonis fortunæ caducis, bona animi, nunquam nec incendio, nec naufragio peritura accumulēt. Literæ quidem marsupium non sequuntur; sudoris enim comites & laboris, tempore verius emuntur: at in tempore, præsertim extra patriam, sine nummis nihil comparatur quod ad victum & amictum est necessarium. Ita pecunia est Causa, sine qua non. Sed næ ego magno conatu magnas hactenus nugas egi: quippe Londini sursum deorsum cursitando, vix adhuc spatio bimestri tantum profeci, ut loca publica sine hæsitatione & errore invisere, & revisere possim. Ita fallit viarum multiplicitas viatorem, & qui uno calle certus ibat, hæsijt in bivio, multoq; major est trivij, atq; quadrivij error. Narrabo hîc pro re nata casum ridiculum. Profectus sum paucis adhinc diebus

cir-

circa vesperam ad quoddam
locum communem & merca
vestigijs tritum, eorumq; co
nercijs destinatum. Ibi nesci
ulantium sermonibus, juc
itus, & diutiùs quàm oport
l meipsum redeo, atq; circ
o, ecce Syrenum cantibus
is undiq; palpabilibus involu
ram dejicio, tristis atque
id fit ? quod facto opus e
& me in pedes conjieci, div
ico aqueo situm, & Tame
stigaturus. Sed quo suc
: tali nimirum, ut multis
passibus, ultrò citròq; f
porticum invitus, & non
nota redierim. Eodem f
tianus (quem magnus p
am suis monstrationibu
lto tandem super hac m
lo, Oedipus magno cu
spondit, me insalutato
, qui meâ incivilitate, &
s, hoc supplicij genere
Sed cum loci istius pra
crebris suspirijs, & ge

quã à nobis invicẽ disiuncti sumus. I
tis in me tui monumentum, quocun
fero, mecũ circumfero; & magnum i
mulũ adjicio pristino illi affectui, qu
complecti in ipsa innocentium anno
te. Tu, si modò fervor ille, quo me d
consuevisti, nullo frigore contactus i
pergas mutuum facere, & tui amant
constanter redamare. Utinam ali
contingat ad veterem illam vitæ co
dinem redire, quam in patria patri
auspicati sumus, quam tot serijs, joc
rebus pertractandis, nunc domi, nu
continuavimus. Domi, cum magno
strogotho: qui cum salsamenta varia
vita devorasset, hoc fuit ultimum abij
fit, erupit. Recordare, quæso, quotię
illo bellum civile gessimus, quoties se
nem movimus, & sedavimus in illo lusu,
Germani & Sueci vocant Krymp: in quo
nã magni illius Ostrogothi facundiã sæp
merò experti sumus; qui nos per contu
toties appellavit Struthiocamelos, & v
ces marinos. Nosti cætera sesquipe
verba, quæ tulimus, quamdiu verba fuêr
rùm si ad rem contulisset, haud dubiè v
lasset. Quoties nobis dixit, si boni estis

gerrones, & animosi milites, descendite in cõflictum, toties ipsi respondimus: Si magnus es Imperator, coge nos nolentes in certamen venire. Hæc domi, modò tuæ, modò nostræ: at foris etiam militariter viximus peregrinantes, rusticantes, rusticorum barbariem, & inclementiam experti, qui atrocibus dictis, clamore vultúsq; truculentiâ nos terruerunt, ita verba plusquàm gladij, & voces plusquàm manus rusticorum nos in fugam verterunt, & attonitos reddiderunt. Nuptias quoq; & convivia varijs in locis celebravimus lusitantes, saltitantes, cantillantes. Rusticorum etiam feritatem probè ulti sumus, furto in illorum hortis commisso. Necdum enim obliti sumus, quanta cum voluptate alienas arbores spoliavimus, quanta cum alacritate ascendimus, quanta cum molestia descendimus, quanta cum voracitate rubras illas pillulas deglutivimus, qui ne sacris quidem arboribus pepercimus, quæ hortorum dijs tutelaribus consecratæ erant, Israëlitas fortassis imitati, qui vasa aurea, & argentea Ægyptiorum dolo non malo secum abripuerunt. Iam si quis ad rem paulò attentior indignum clamitet facinus, à nobis perpetratum in innocentes istas arbores, quid faciemus? culpam agnitam de-

pre-

deprecantes dicemus,

Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.

Fuerunt quidem in ore nostro suaves fu
istæ pillulæ, sed belium intestinum, & ve
tormina nobis crearunt. En voluptatem
sicut apes, mel habet in ore, aculeum in
da. Ita nocet quàm maximè empta furt
luptas, quod suo exemplo demonstrant
in cruce pendentes, corvorum educato
altores. Præstat tamen hîc suspendi, & o
mortuos escam dare corvis; quàm vivis
intueri infernalem; inextinguibilem, ill
torqueri. Sed qui potest utrumq; malu
tare, vitet; alioquin qui cum periculo
luptate furatur, sine voluptate in malam
cem abibit scelus. Vale, & Crucem C
ama, in qua nostra salus & gloria. Lo
Id. Decemb. M. DC. XX.

EPISTOLA X.

MERICO CASAUBONO, ISA
CASAUBONI F. S.

HEm, quid hæc sibi vult sinisteritas?
hoc morbi est? adeòne hominem ex
cœna immutarier, ut non agnos
eundem esse? odio sanè dignus es cum tu

E

ligione. Unde tam insolens, & non vulgaris dictionis stylus? unde tanta animi scabitudo? Simulat Casaubonus futuras nuptias, ut cognoscat quid animi habeat Hunterus. Promisi nec veni, dupliciter te judice peccavi: nam & fidem fefelli, & te contempsi. Quam quæso fidem dedi, & quo contemptu me contemptibilem feci? Si venissem, repperissem te in tuo musæo: sed ante quintam adorari voluisti, modò non frustrà amicitiæ tuæ fores pulsare, cœnamq; tuam in vanum captare vellem. Hîc qui lynceis oculis acutum cernit, monstret nobis illam fidem, quam me dedisse, & non servasse contendis. Cedo quemvis arbitrum: nullus modò æquus dicet te despectui habitum ab eo, qui plus tibi præstitit absens, quàm præsens antehac unquam. Etenim si quid mihi est apud te fidei, hanc mihi fidem adhibebis, te heri graviter offendisse nostrum germanum Ufelium, quod tesseram hospitalem ab illo datam, minus diligēter ex ipsius suspicione asservaris. Ego qua-
in [illegible] ... is obsti-

pōneret. Sed dum ego magnus quondam ... norum Imperator, nec ignavus amico... fensor, spartam quam pro re nata in e... tuo facto purgādo nactus eram adornare... tendo, ecce tempus illud gratissimum mih... præfinitum, advocato tuo inscio eplap... animadverto. Protinus igitur filo serm... amputato surgo, & humerum pallio one... præstò tibi futurus capaci stomacho, ac... cultro, & prurientibus dentibus. Verùm... jecto statim sufflamine penulā mihi scidit... ster Ufelius, & manibus importunis, infau... & infelici divisione me à tuo detinuit comp... xū, in quem advolare animus mihi erat pro... ptissimus. Hic iterum tuæ sese ingerunt qu... moniæ, hospitalitate tuâ spretâ quæsivisse... exquisita cænarum ingenia, & struices p... ñarias; noluisse me, quod caput emansio... erat, in caseo & butyro, pane & cervisia ... ni... ...n tecum agere. Sed si hoc est tristi ... ...em macerare; non recuso illam ... ...um pænitere quando ju... ...olueris. Quod si glad... ...iam ad me ... nec ... quæro ... ...

E 2

culus meus cum tota cohorte inteſtinorum, quæ mihi nunc fame murmurant, tela tua excipient ſine murmure. Faxo commilitonem dicas te eſſe nactum, qui ſine ulla nauſeæ moleſtia cum caſeo & butyro militare didicit eſuriens. Vale, & ama militariter. Oxonij, XIII. Cal. Jan. M. DC. XX.

EPISTOLA X. Londinum.

RAPHAELI THORIO *Gallo, Medicinæ Doctori, & Londinenſium Medico excellentiſſ. S.*

AMoris tui erga quoſvis literarū ſtudioſos magnitudinē, abundè perſpectā habeo ex eo, quod me hominē ignorabilē, nec ullâ magnopere dote commendabilem, dignum habueris, in quem uberrimum tuæ humanitatis, & propenſæ voluntatis exemplū ederes. Ob quod tuum de me benè merendi ſtudium, plurimum tuæ benignitati me debere profiteor. Clariſſimo viro, Doctori Claytonio, vicariam à te ſalutem reverenter detuli, ſimul ac literas tuas gratiſſimas, quibus me in ejus notitiam & favorem inſinuare dignatus es: qui commendatione protinus tuâ, & communi humanitatis officio adductus, authoritatem & gratiam ſuam mihi totam hac lege ad-

dixit, ut si erit agendum meâ causâ quippiam, nihil mihi suo studio, & operâ futurum esse paratius. Verbis deinde ultrò citròq; habitis huc evasit, ut diceret Casaubonum & Hunterum ex ædibus suis posse quidem dimitti, modò stipulatâ manu promitterent se ad cœnam philosophicis palatis dignam reversuros. Placuit nobis conditio, qui horâ cœnæ destinatâ reduces, mensam ejus hospitalem vidimus exquisitissimis epulis exstructam, illumque re & facto plus præstitisse, quàm verbis voluit polliceri. Nos tamen non tam juverunt cœnæ dubia, dapesq; regales, quàm animo hærentia colloquia, quæ non inquinant, sed ingenia delectant, & alunt. Qui cum Platone olim cœnabant, gloriabantur ejus convivijs nō tam corpus, quàm animum pasci: at nos quanto feliciores, qui cœnam habuimus medicam, utroque pabulo laudabilem. In discessu gratias quidem egimus, magnifico hospiti dignas pro lautissimo suo convivio, qui tamen consuetudinem hujus gentis nunquam satis de prædicandam aut neglexímus, aut postposu mus, quam ego intermissam esse vehemen doleo. Quippe sine honorificis osculis v dimus bellis illis bellatulis, quæ talibus nusculis in accessu & recessu adorari con

verunt,& honorari merentur. Possem ego novitius in Anglia hospes, morum Britannicorum, & juris hîc civilis, alibi incivilis ignarus, civili ignorantiâ me excusare: sed emendabo in posterum, ut quod Suedico pudore semel omissum fuit, Anglicanâ deinde urbanitate resarciatur. Mericus Casaubonus paternâ etiam & hæreditariâ verecundiâ præpeditus, jus illud Britannicum, civile quidem sed non scriptum, intermisit, quod meo judicio aliunde honestatem non habet, quàm quod more hujus gentis receptum, usu approbetur. Diuturni verò mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur. Sed multi hujus legis amore capti, nimis diu, imò usque ad mortem suaviter hîc peregrinantur, post mortem verò peregrinationis suæ pænas luunt. Lupum quem auribus teneo, ubi nactus sim in Anglia miraris. Multæ sunt injuriæ, longæ circuitiones, dicam quod res est. In meo illo marsupio latitat, in quo natus est, & educatus. Dolendum sanè est Crumenam ex optimo corio consutâ, peregrinationibus nobilem, ab ejusmodi voraci hoste ita immutarier, ut non agnoscam eandem esse: sed accepto novo viatico lupum auribus tenere desinam, cujus consortio

& fa-

& familiaritate nunc ululo, & curatoribus meis obgannio. Vale, & mirari desine Lupos etiam in Anglia generari & educari. Quippe ubi homines, ibi lupi, & quidem rapaces. Oxonij Prid. Cal. Jan. M.DC.XX.

EPISTOLA XII.

MERICO CASAUBONO, S.

INter novas strenas, quas novus hic annus tibi adfert, en cudonem pilosum, pellibus vulpinis subductum, in Suecia dexteritate pelliceâ affabrè compositum, peregrinationibus insuper nobilē, & Ulysseâ quadam prudentiâ commendabilē: quippe mores hominum vidit, & urbes, Sueciæ, Daniæ, Germaniæ, Angliæ. En, inquam, pellem, naturâ astutam, usu solertem, consuetudine audacem, capiti tuo dicatam, non eo fine, ut quò non pertingit pellis leonina, ibi assumas vulpinam; sed ut cerebrum tuum multis vigilijs maceratum ejus calore reficias, & sanitati restitutum vulpino consortio foveas. Hab[illegible] bis tu in musæo tuo, ad quæ noscenda iter i[illegible] gredi, transmittere mare solent, qui prop[illegible] quorum incuriosi, longinqua sectantu[illegible] Habebis specimen armorum, quibus pug[illegible]

consueverunt Sueci tuâ opinione barbari, cũ inclementiori cœlo, & brumali frigore. Habebis etiam industriæ documentum, quo probes barbaros istos esse homines prudentissimos, qui in callido ludo docti didicerunt astutissimas bestias astutissimè decipere, pilosamque pellẽ illis detrahere, capiti humano utilem. Quod quàm sit arduum, evincit proverbium populari sermone tritum; difficilimum esse laqueo annosam capere vulpem: versutior enim est, quàm rota figularis, & versipellem se facit, quando lubet, neq; pudet id ætatis sycophantias struere: cui illaqueatæ, gannienti, gementi simulq; blandienti aurem vellicavi, & insusurravi, aufer cavillam, non ego nũc nugas ago, qui obtorto collo te in jus traham, aut quod bene implicui abrumpam potius, quàm solvam. Contendi jure belli cum meo mancipio, & litem vici: quodq; redemptionis suæ pretium in auro vel argento persolvere non potuit, id corpore luit, & pellem dedit. Nunc tu porrò vide Suecorum censor, quâ censurâ opus sit. Quod si sæpius barbariem illis affinxeris, & prudentiam illorum militarem literarum monumentis passim proditam non agnoveris; habebit hæc vulpecula in capitolio suo superba tibi quod ad aurem oggan-

ganniat, olim se fuisse astutam; sed ab astutiori Sueco captatam collo laqueo inseruisse, & pellem charissimam mihi reliquisse, tibi quoq; profuturam. Gaudeo sanè, ac seriò triumpho me non frustra hanc Sociam in Britanniam mecum duxisse itineris comitem, quæ vi veritatis victa hostium suorum laudes etiam mortua celebrabit. Et postquam illam cepi jure belli, & virtute militari, ut semper ipsi apud me justa, & clemens fuerit servitus, scit: feci è serva ut esset liberta mihi, propterea quod serviebat liberaliter. Quod habui summum pretium, persolvi ipsi: quæ meis aliorumq; relationibus probè erudita, me liberali tuâ hospitalitate sæpe numero usum, non recusat eâdē fidelitate te sibi demereri, quâ mihi diu inservivit, & nunc suum studium, fidem, operamq; me interprete tibi defert, sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis. Nihilq; aliud ob suum erga te bene merendi studium postulat, quàm ut locum aliquem honestum in re tua familiari illi tanquam capitis tui ornamentò commodes. Fuit quidem olim satis astuta, callida, versuta, sed human convictu perdomita, naturam expulit furc novosq; sibi mores adoptavit. Tuæ part erūt retinere & servare hanc meam liberta

gerrones, & animosi milites, descendite in cō-
flictum, toties ipsi respondimus: Si magnus es
Imperator, coge nos nolentes in certamen ve-
nire. Hæc domi, modò tuæ, modò nostræ: at-
foris etiam militariter viximus peregrinan-
tes, rusticantes, rusticorum barbariem, & in-
clementiam experti, qui atrocibus dictis, cla-
more vultusq; truculentiâ nos terruerunt, ita
verba plusquàm gladij, & voces plusquàm
manus rusticorum nos in fugam verterunt, &
attonitos reddiderunt. Nuptias quoq; & con-
vivia varijs in locis celebravimus lusitantes,
saltitantes, cantillantes. Rusticorum etiam
feritatem probè ulti sumus, furto in illorum
hortis commisso. Necdum enim obliti sumus,
quanta cum voluptate alienas arbores spo-
liavimus, quanta cum alacritate ascendimus,
quanta cum molestia descendimus, quanta
cum voracitate rubras illas pillulas degluti vi-
mus, qui ne sacris quidem arboribus peperci-
mus, quæ hortorum dijs tutelaribus conse-
cratæ erant, Israëlitas fortassis imitati, qui va-
sa aurea, & argentea Ægyptiorum dolo non
malo secum abripuerunt. Iam si quis ad rem
paulò attentior indignum clamitet facinus,
à nobis perpetratum in innocentes istas ar-
bores, quid faciemus? culpam agnitam de-

pre-

deprecantes dicemus,

Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.

Fuerunt quidem in ore nostro suaves furtivæ istæ pillulæ, sed bellum intestinum, & ventris tormina nobis crearunt. En voluptatem, quæ sicut apes, mel habet in ore, aculeum in cauda. Ita nocet quàm maximè empta furto voluptas, quod suo exemplo demonstrant fures in cruce pendentes, corvorum educatores, & altores. Præstat tamen hîc suspendi, & oculos mortuos escam dare corvis, quàm vivis ignē intueri infernalem, inextinguibilem, illoque torqueri. Sed qui potest utrumq; malum vitare, vitet; alioquin qui cum periculosâ voluptate furatur, sine voluptate in malam Crucem abibit scelus. Vale, & Crucem Christi ama, in qua nostra salus & gloria. Londini Id. Decemb. M. DC. XX.

EPISTOLA X.

MERICO CASAUBONO, ISACI CASAUBONI F. S.

HEm, quid hæc sibi vult sinisteritas? quid hoc morbi est? adeòne hominem ex una cœna immutarier, ut non agnoscam eundem esse? odio sanè dignus es cum tua re-

ligione. Unde tam insolens, & non vulgaris dictionis stylus? unde tanta animi scabitudo? Simulat Casaubonus futuras nuptias, ut cognoscat quid animi habeat Hunterus. Promisi nec veni, dupliciter te judice peccavi: nam & fidem fefelli, & te contempsi. Quam quæso fidem dedi, & quo contemptu me contemptibilem feci? Si venissem, reperissem te in tuo musæo: sed ante quintam adorari voluisti, modò non frustrà amicitiæ tuæ fores pulsare, cœnamq; tuam in vanum captare vellem. Hîc qui lynceis oculis acutum cernit, mônstret nobis illam fidem, quam me dedisse, & non servasse contendis. Cedo quemvis arbitrum: nullus modò æquus dicet te despectui habitum ab eo, qui plus tibi præstitit absens, quàm presens antehac unquam. Etenim si quid mihi est apud te fidei, hanc mihi fidem adhibebis, te heri graviter offendisse nostrum germanum Uselium, quod tesseram hospitalem ab illo datam, minus diligẽter ex ipsius suspicione asservaris. Ego quantũ in me fuit verbis gravissimis obstiti, quò minus gravius quicquam de tuo erga quosvis candore suspicaretur, & homo cum esset facilis, hominem facilè eò pertraxi, ut ejusmodi suspiciones humanitate fretus, humaniter de-

pone-

poneret. Sed dum ego magnus quondam beanorum Imperator, nec ignavus amicorũ defensor, spartam quam pro re nata in enormi tuo facto purgãdo nactus eram adornare pertendo; ecce tempus illud gratissimum mihi à te præfinitum, advocato tuo inscio eplapsum animadverto. Protinus igitur filo sermonis amputato surgo, & humerum pallio onero, præstò tibi futurus capaci stomacho, acuto cultro, & prurientibus dentibus. Verùm injecto statim sufflamine penulã mihi scidit noster Ufelius, & manibus importunis, infaustâ, & infelici divisione me à tuo detinuit complexũ, in quem advolare animus mihi erat promptissimus. Hìc iterum tuæ sese ingerunt querimoniæ, hospitalitate tuâ spretâ quæsivisse me exquisita cænarum ingenia, & struices patinarias; noluisse me, quod caput emansionis erat, in caseo & butyro, pane & cervisia pænitentiam tecum agere. Sed si hoc est tristi pabulo carnem macerare; non recuso illam pænam subire; & tecum pænitere quando jusseris, & sæpiùs quàm volueris. Quod si gladiatorio prorsus animo viam ad me affectas; ecce totum me tibi offero; nec ullas quæro latebras, sine scuto; & Clypeo tecum congressurus. Tu pares arcum cum sagittis, vent

culus meus cum tota cohorte inteſtinorum, quæ mihi nunc fame murmurant, tela tua excipient ſine murmure. Faxo commilitonem dicas te eſſe nactum, qui ſine ulla nauſeæ moleſtia cum caſeo & butyro militare didicit eſuriens. Vale, & ama militariter. Oxonij, XIII. Cal. Jan. M. DC. XX.

EPISTOLA X. Londinum.

RAPHAELI THORIO *Gallo, Medicinæ Doctori, & Londinenſium Medico excellentiſſ. S.*

AMoris tui erga quoſvis literarũ ſtudioſos magnitudinẽ, abundè perſpectã habeo ex eo, quod me hominẽ ignorabilẽ, nec ullâ magnopere dote commendabilem, dignum habueris, in quem uberrimum tuæ humanitatis, & propenſæ voluntatis exemplũ ederes. Ob quod tuum de me benè merendi ſtudium, plurimum tuæ benignitati me debere profiteor. Clariſſimo viro, Doctori Claytonio, vicariam à te ſalutem reverenter detuli, ſimul ac literas tuas gratiſſimas, quibus me in ejus notitiam & favorem inſinuare dignatus es: qui commendatione protinus tuâ, & communi humanitatis officio adductus, authoritatem & gratiam ſuam mihi totam hac lege

ad-

dixit, ut si erit agendum meâ causâ quippiam, nihil mihi suo studio, & operâ futurum esse paratius. Verbis deinde ultrò citròq; habitis huc evasit, ut diceret Casaubonum & Hunterum ex ædibus suis posse quidem dimitti, modò stipulatâ manu promitterent se ad cœnam philosophicis palatis dignam reversuros. Placuit nobis conditio, qui horâ cœnæ destinatâ reduces, mensam ejus hospitalem vidimus exquisitissimis epulis exstructam, illumque re & facto plus præstitisse, quàm verbis voluit polliceri. Nos tamen non tam juverunt cœna dubia, dapesq; regales, quàm animo hærentia colloquia, quæ non inquinant, sed ingenia delectant, & alunt. Qui cum Platone olim cœnabant, gloriabantur ejus convivijs nō tam corpus, quàm animum pasci: at nos quanto feliciores, qui cœnam habuimus medicam, utroque pabulo laudabilem. In discessu gratias quidem egimus, magnifico hospiti dignas pro lautissimo suo convivio, qui tamen consuetudinem hujus gentis nunquam satis depredicandam aut neglexims, aut postposuimus, quam ego intermissam esse vehement doleo. Quippe sine honorificis osculis va diximus bellis illis bellatulis, quæ talibus m nusculis in accessu & recessu adorari con

verunt, & honorari merentur. Possem ego novitius in Anglia hospes, morum Britannicorum, & juris hîc civilis, alibi incivilis ignarus, civili ignorantiâ me excusare: sed emendabo in posterum, ut quod Suedico pudore semel omissum fuit, Anglicanâ deinde urbanitate resarciatur. Mericus Casaubonus paternâ etiam & hæreditariâ verecundiâ præpeditus, jus illud Britannicum, civile quidem sed non scriptum, intermisit, quod meo judicio aliunde honestatem non habet, quàm quod more hujus gentis receptum, usu approbetur. Diuturni verò mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur. Sed multi hujus legis amore capti, nimis diu, imò usque ad mortem suaviter hîc peregrinantur, post mortem verò peregrinationis suæ pœnas luunt. Lupum quem auribus teneo, ubi nactus sim in Anglia miraris. Multæ sunt injuriæ, longæ circuitiones, dicam quod res est. In meo illo marsupio latiat, in quo natus est, & educatus. Dolendum nè est Crumenam ex optimo corio consutâ, regrinationibus nobilem, ab ejusmodi voi hoste ita immutarier, ut non agnoscam idem esse: sed accepto novo viatico lun auribus tenere desinam, cujus consortio & fa-

& familiaritate nunc ululo, & curat
meis obgannio. Vale, & mirari desine
etiam in Anglia generari & educari. C
ubi homines, ibi lupi, & quidem ra
Oxonij Prid. Cal. Jan. M.DC.XX.

EPISTOLA XII.

MERICO CASAUBONO.

INter novas strenas, quas novus hi
tibi adfert, en cudonem pilosum,
vulpinis subductum, in Suecia de
te pelliceâ affabrè compositum, peregr
nibus insuper nobilē, & Ulysseâ quad
dentiâ commendabilē: quippe more
num vidit, & urbes, Sueciæ, Daniæ,
niæ, Angliæ. En, inquam, pellem, natu
tam, usu solertem, consuetudine aud
capiti tuo dicatam, non eo fine, ut q
pertingit pellis leonina, ibi assumas
nam; sed ut cerebrum tuum multis
maceratum ejus calore reficias, & san
stitutum vulpino consortio foveas.
bis tu in musæo tuo, ad quæ noscenda
gredi, transmittere mare solent, qui
quorum incuriosi, longinqua secta
Habebis specimen armorum, quibus P

consueverunt Sueci tuâ opinione barbari, cũ inclementiori cœlo, & brumali frigore. Habebis etiam industriæ documentum, quo probes barbaros istos esse homines prudentissimos, qui in callido ludo docti didicerunt astutissimas bestias astutissimè decipere, pilosamque pellẽ illis detrahere, capiti humano utilem. Quod quàm sit arduum, evincit proverbium populari sermone tritum; difficilimum esse laqueo annosam capere vulpem: versutior enim est, quàm rota figularis, & versipellem se facit, quando lubet, neq; pudet id ætatis sycophantias struere: cui illaqueatæ, gannienti, gementi simulq; blandienti aurem vellicavi, & insusurravi, aufer cavillam, non ego nũc nugas ago, qui obtorto collo te in jus traham, ut quod bene implicui abrumpam potius, quàm solvam. Contendi jure belli cum meo mancipio, & litem vici: quodq; redemptionis pretium in auro vel argento persolvere non potuit, id corpore luit, & pellem dedit. Hinc tu porrò vide Suecorum censor, quâ curâ opus sit. Quod si sæpius barbariem affinxeris, & prudentiam illorum militarem literarum monumentis passim proditam ignoveris; habebit hæc vulpecula in capo suo superba tibi quod ad aurem oggan-

ganniat, olim se fuisse astutam; sed al
ri Sueco captatam collo laqueo inse
pellem charissimam mihi reliquisse, til
profuturam. Gaudeo sanè, ac seriò tr
me non frustra hanc Sociam in Brita
mecum duxisse itineris comitem, quæ
tatis victa hostium suorum laudes etiar
tua celebrabit. Et postquam illam cep
belli, & virtute militari, ut semper ip
me justa, & clemens fuerit servitus, scit
serva ut esset liberta mihi, propterea qu
viebat liberaliter. Quod habui summu
tium, persolvi ipsi: quæ meis aliorumq
tionibus probè erudita, me liberali tuâ
talitate sæpe numero usum, non recusa
fidelitate te sibi demereri, quâ mihi diu
vivit, & nunc suum studium, fidem, oper
me interprete tibi defert, sine ulla excep
aut laboris, aut occupationis, aut temp
Nihilq; aliud ob suum erga te bene mer
studium postulat, quàm ut locum aliq
honestum in re tua familiari illi tanquam
pitis tui ornamento commodes. Fuit qui
olim satis astuta, callida, versuta, sed hum
convictu perdomita, naturam expulit fu
novosq; sibi mores adoptavit. Tuæ pa
erũt retinere & servare hanc meam liber

tanquam obſidem perpetuæ meæ in te voluntatis. Vale, & novum hunc annum (quem tibi tuiſq; fauſtum precor) lætus ingredere, continua, abſolve. Oxonij 1. Cal. Jan. M. DC. XX.

EPISTOLA XIII. Leydam.

PETRO LAURENTIO FALCHIO, Sueco. S.

PErna tua cum reliquis delicijs, ſalſamentarijs è promptuario Sudermanniæ ablatis, & Lugdunum Batavorum translatis, quarum gratam mentionem hinc à me diſcedens feciſti, nimis crebrò mihi ſalivam movet, tum vigilanti, tum dormienti. Quodque amantibus uſu venire ſolet, ut ea ſomnient, quæ vigilantes voluêre, hoc ipſum mihi nuper contigit. Somniavi etenim nobis more ſolito ſuaviter occupatis, præter alias lauticias pernam tuam, & illam quidem ſucci plenam omni laude ſuperiorem appoſitam fuiſſe. Quid multis? ad cœnam dubiam à te videbar invitatus, gaudio delibuti riſimus, plauſimuſque affatim. Sed experrectus ſenſi me dulci ſomnio ridiculè eluſum. Equidem vehementer dolui tantum bolum mihi è faucibus ereptum. Miſeret te mei, qui oratio-

tionis tuæ penicillo tam jucundam pernæ tuæ umbram mihi ob oculos posuisti, quam in somno somnians toties admiror, amplector, exosculor: ita tamen, ut hæc omnia amatorum præludia nihil aliud sint, quam mera ludibria. Quo studio, quo animo, quo fine delicias tuas Sudermannicas tam graphicè depinxeris equidem ignoro, hoc unicum scio, me nimis sæpe vanis istis somnijs & oblectamentis decipi, ut jam tandem incipiã Themistoclis votum meo approbare calculo, quem ferunt oblivionis artem, quàm memoriæ maluisse. De pernæ tuæ carnibus tantum, quarũ bonitatem & dulcedinem gustu hactenus non exploravi, propediem Deo volente expiscaturus, quid dentibus meis prurientibus, & animo meo, qui in tuis patinis est, reliquum feceris. Post paucos dies, si Deo ita visum fuerit, ad Academiam Oxoniensem profecturus sum, cujus illustrem splendorem, & decu... admirabile sufficienter contemplatus, p... dem Deo favente reponam in illam viam, q... reditur in Hollandiam. Tu si nihil ali... ex celeberrima hac insula reportaveri... quamobrem huc magnopere ventum volu... ses, certè cum Ulysse gloriari potes, ... glorum te urbes moresque fugitivo oculo ...

ſtraſſe, & inſuper tot Academicorum candorem, comitatem, & humanitatem brevi colloquio deguſtaſſe, qui viciſſim pernę tuæ exquiſitam ſuavitatem guſtu percipere merentur. Vale, & ſaluta tuam hoſpitam; quæ ſi partui eſt vicina, cave obſtetricis partes aſſumas, niſi fortaſſis dignum te putes, cui committatur quinto aut ſexto partu mulier. Sed ignoſcat mihi genius tuus, & vicem reddat jocationibus meis naturæ jocantis ſoboles. Londini 13. Cal. Feb. M. DC. XXI.

EPISTOLA XIV. *Oxonium.*

MERICO CASAUBONO S.

Literarum munere perfungor ſeriùs, quàm ego promiſeram, & tu expectaveras. Vis cauſam dilati officij? Scrupuli mihi in itinere injecti ſunt, & ita exempti, ut cruenta vulnera poſt ſe reliquerint. Quippe pedes meos veloci curſu ita primis diebus exercui, ut veterem pellem prorſus exuerint, novâ nõdum indutâ. Arrige aures Caſaubone: poſtquam ſtimulorum pungentium, & cutem mihi detrahentium carnificinam diu perpeſſus eſſem, primâ illa alacritate paulatim amiſsâ, qui initio eram quaſi caput, & cęterorum viato-

to-

.torum, cursorumq; dux, tandem à tergo reli-
ctus, ex capite factus sum cauda. *Sed* nihil du-
rius in se habuit scrupulorum meorum mor-
dacitas, quàm quod ridiculos homines fecit.
Scoti etenim, itineris mei comites, quos in via
pro vehiculo futuros esse arbitrabar, suâ fa-
cundiâ abusi, me sibi pro ridiculo ac delecta-
mento habuêre, & alios insuper nebulones
suis nugamentis permovêre, ut me junctis ca-
chinnis facetè eluderent. Ego miser aculeo-
rum stimulantium cruciatu claudicans, asi-
nus inter Simias, altè quidem suspiria duxi:
vultu tamen ad gravitatem composito, despi-
cientiam simulavi, quasi illorum irrisionibus
intactus. Sed cùm modum excederent garri-
endi, & ineptiendi, ego veritus ne suis cachin-
nationibus emoreretur, à ridiculis illis socijs
paululum recessi; & rhedarium mentitâ vul-
tus hilaritate appellavi, magnaque blandilo-
quentiâ ipsi supplicavi, ut potestatem mihi fa-
ceret conscendendi currum ad aliquot mil-
liaria. Verùm astutus, & ad suum quæstum
callidus iste nebulo, cum ex ægro meo incess
animadverteret me scrupulorum consorti
& dolore pedum sibi blandidicum esse, taci
secum gaudebat, & ab omni misericordiâ ali
nus negabat me posse in numerum, & societ
te

tem currulium cooptari, nisi stipulatā manū promitterem me tantum persoluturū, quantū reliquos, qui triginta jam milliaria curru vecti confecerant. Ego naturæ meæ vim inferens, præter morem meum pergo blandè illi palpari. Ille verò pro curruli sua authoritate jubet me auferre illinc palpationes, ubi nullus palpo esset locus. Atq; ita hominis impudentiam admiratus, ejusque iniquâ exactione à curru fugatus, reliquum illius diei iter, non sine crebris suspirijs claudus absolvi. Postridie numeratis duobus solidis anglicanis, quibus offam paravi aurigæ, cum bona ejus veniâ, curru revectus sum Londinum. Ubi in Scotum incidimus pannosum quidem ac squalidum, sed qui sapientiam sub palliolo sordido gestavit, & nos in ædes cujusdam sui amici deduxit, in quibus commodum nobis tribus cubiculum mediocri pretio paratum putavit. Dominam illarum ædium ad rem paulo attentiorem, adventus noster hilaram ac lubentem fecit, quæ inani lætitiâ elata, exultans & temerè gestiens, cum quatuor solidos anglicanos pro usu cubiculi in singulas septimanas postularet, nos illo pretio deterriti conditionem recusavimus. Interea dum nostra verba ultrò citròq; comeant, Scotus ille ho-

hoſpitij noſtri procurator, ut hilari animo eſſet, & prompto ad jocandum, onerat ſe hilaritudine: qui ut amici ſui uxorculæ, reſponſo noſtro ſubtriſti hilaritatem illā primā, & ſuavitatē revocaret, monuit ipſam, ut deliberandi nobis unā noctem permitteret. Ad quā denuò converſus, ſi cras mane, inquit, audieris aliquem ex his novis hoſpitibus in pavimento ſaltitantem, certò concludes arridere ipſis hoſpitium pretio dicto. Ita dixit doctè & cordatè, ut cor ei ſaliret. Nos pro noſtra ſimplicitate affatim riſimus ad jocum non illepidum. At illa ex jocatione & riſione noſtra fecit rem ſeriam. Mane enim cum alter contubernalium leviter duntaxat tripudiaſſet, hoſpita illicò apparuit, & gratulata eſt nobis meliorē mentem, tanquam in domo ſua manſuris. Nos iterum orationem muliérculæ grarulatoriam irriſimus: ſed cum in proeinctu eſſemus, ut illinc abiremus, illa ciſtam meā cum omni theſauro incluſo in carcerem compegit, & niſi ſubſidio nobis veniſſet ſubtilis ille advocatu[s] Scotus, nos improbè mulctati diſceſſiſſemu[s]. Tandem poſt multas cavillationes ad anti[-]quum meum diverſorium reverſus ſum; u[bi] literas tuas expectabo. Vale. Londini 5. C[al.] Febr. M.DC.XXI.

E[PISTOLA]

EPISTOLA XV. *Leydam.*

REGNERO LEUHUSIO, *festivo Philosopho. S.*

LIterarum tuarum munus verbis exquisitissimis ornavit noster conterraneus, cujus in animo hærent suaves illi & bene conditi sermones; quibus tam lepidè, & inculpatâ scilicet lætitiâ tempora transegistis in Hollandia, & non ita pridem in celeberrimo illo mercatu Falchenburgico. ô si vobis adfuisset Davus Terentianus, non ille rimarum plenus, sed facetijs ridiculus, & animo ad jocandum promptus, pultiphagus, multibibus, merobibus! quot risiones & jocos ad nuptialem vestram hilaritatem attulisset lepidum caput? quot salibus epulas vestras condidisset facetiarum disertus pater? quot bellarijs bellatulas beasset bellus homuncio? Edisset, bibisset, animo obsecutus fuisset vobiscum, nec passus fuisset pulmentum sibi eripi à milvio. Sponsæ quoniam quod optimum in sequiori sexu est, hilarula fuit; suaviloquenti ore suavium dedisset; oratione vinulâ venustulâ delicias fecisset; blandis & benedictis dictis subagitasset oppressissetque tentatam, nec

nec nisi victor abijsset.

Audendum est, fortes adjuvat ipsa Venus.

— *Esse aliquid si cupis, Aude & Ede.*

Quod si venusti virginum vultus, nympharũ molliculạrum forma liberalis, bellatularum blandimenta & suaviationes suaviter tuis sensibus blandiuntur, veni; vide; ride. Non deerit tibi in Anglia nova figura oris, nec hilaritas illa & suavitas; quæ elegantem formarum spectatorem præter cæteros delectat. Mos hîc præterea invaluit, quem tu nunquam satis laudaveris. Sive quò venias, omnium osculis exciperis; sive abiturus aliquò, osculis ab illarum complexu divelleris: reverteris, parata sunt reduci suavia: vocatæ ad te, veniunt ludibundis oculis, & ore ridibundo ad oscula composito in amplexum tuum irruunt: deinde omnium bonarum rerum intùs apud te saturæ, veniam discedendi abs te non petunt, neq; abeunt nisi prius propinato amoris poculo, & divisis ad satietatem basijs: occurritur alicubi, basiatur affatim: deniq; quocũq; te moveas, conferas, recipias, ad maxumas, medioxumas, minimas, suaviorum plena sunt omnia. Noster Conterraneus qui lepus non est, & pulpamentum quærit; qui suavium dulci dulcius ambrosiâ ambit; qui leporem & gallinam

F

linam, & anserem gustare fas esse credit; dicet tibi non tam doctus, quàm id (quod est majus) expertus illam voluptatem, quæ sensus dulciter ac jucundè movet, Britannicas delicias suavitate vincere Hollandicas, & casearias cupedias. At at, hinc illa dulcicularum, dicacularum & prorsus argutularum Londinensium, venereum nostrum nepotulum, sicut molliculam ceram ad suum arbitrium formātium & fingentium lætitia; exploratorem hūc ludo faciunt supposititium. Tu quoq; vt ex illis audio, qui masculam tuam virtutē novērunt, hanc suavitudinem salsam non relinquis intactam, qui penitere magno emis, expertus dulce atq; amarum quid sit ex pecunia. Ecce autē hospita tua nixa cubito sinistro in femore habet manum: dextra digitis rationem computat, feriens femur dexterum. Tu verò pro tua venerea prudentia, factum excusas exemplo antiquorum Leuhusiorum, quos amasios ac venereos fuisse, Historicorum relatu audivisti ac didicisti. Ita tibi adsit lætitiæ dator Bacchus, & bona Juno. Londini Cal. Febr. M. DC. XXI.

EPI-

EPISTOLA XVI. Oxonium.

JACOBO CHERU, *Nobili Gallo* S.

TU mihi quidem in amoribus es: Casaubonus autem, & Boumgardus ajunt te furenter irasci, qui tuam vicem irascuntur, quod firmiter credas sine rabie iram tuam in me evomi non posse Quid quæso commisi dignum accusatione tuâ rabiosâ, atq; iracundiâ totâ plena acerbitatis? an valetudinis vitio furis, & melancholicus es? ô te miserum! Vix es compos animi, ita ardes, vt audio, iracundiâ. Opus erit ne mihi advocato tristi, iracundo, qualis tu es accusator? Agam ipse bene mihi conscius causam meam, sine animi acerbitate, omnesq; tuas de me querelas, apud judices ex perversa suspicione depositas tollam, hospiti tuo Londinensi illis molestiam creaturus, cujus jugulum petam, & verbereum caput verberabo. Literas mihi à te commissas, cui ipse voluisti, de manu in manum tradidi Londinum redux, præsentibus Scotis, amicis mihi reconciliatis, quos habeo mei officij, hujusq; facti oculatos testes. Quid potui amplius, quàm quod in mandatis à te habui, id bona fide expeditum dare. Patronus tuus

tuus Londinensis pistrino dignus, & loris cædendus, quia non rescripsit, ego tuas in itinere vel perdidi, vel retinui. Munditias volo fieri hic: ferte huc scopas, simulq; arundinem, ut operam omnium aranearum perdam, & texturam improbam, dejiciamque earum telas. Tu scopas mihi videris dissolvisse: minarer ego tibi virgas, nisi duplex libertas, literatâ & gallica, eas à tuo corpore amovisset. Quæ utinam moriantur in tergo Bomgardi, qui ingurgitavit impurus in se merum plenis faucibus & impuras ad me dedit literas: faxo fiet de vinolento Sanguinolentus. Sed tu scis Bacco cornigero, baccho bacchanti si vis adversarier, ex insano insaniorem facies, feriet sæpius. Vale & repressâ iracundiâ ad te redi, mecumq; in gratiam, qui tuam iram non promerui. Londini Non. Feb. M. DC. XVI.

EPISTOLA XVII. *Oxonium.*

MERICO CASAUBONO S.

ÆGrè tibi nuper fuit hîc Londini videre me ægritudine fessum, & imbecillitate corporis exanimatum: cui nunc bona valetudo est jucundior, postquam Dei gratiâ è gravi morbo recreatus sum, quàm si nunquam ægro corpore fuissem. Pietati tuæ cessit

ſit morbus. Vt primùm intraſti, aſpectu ac ſermone me oblectaſti. Plus mihi profuit tua quàm medicorum amicitia. Morbi curationem à ſacra philoſophia te admonitore petij, quam ego otij oblectationē ſemper honeſtiſſimam eſſe putavi. Ita nihil magis juvat ægros, quàm ab eo medicinam accipere, à quo ſanari cupiunt, Alphonſus Arragoniæ rex, Capuæ graviter ægrotans, medicis multa remedia contra adverſam valetudinem præſcribentibus & adhibentibus, quibus ſaluti regiæ ſubvenire volebant, Quinti Curtij hiſtorias de Alexandri Magni rebus geſtis deſcriptas legere cæpit; quarum lectione delectatus, cum omnē morbi improbitatem ſuperaſſet, ſanitati reſtitutus: Valeat inquit, Avicenna, valeat Hippocrates, valeat Galenus cæteriq; medici, & vivat Curtius, reſtitutor ſanitatis meæ. Perierat rex, niſi magni regis hiſtoricus ſe pro ſalute regia in tot ac tantas medicorum dimicationes, atq; in hos militarium virorum quotidianos impetus objiciſſet. Perierat Alphōſus, niſi Curtius periculum vitæ à capite regio propulſaſſet, puniendo eum, qui ad regem interficiendum ſigna moverat. Perierat Hunterus vi morbi lecto affixus, niſi generis humani medicus crucifixus illi ſalutem propinaſſet.

Pe.i-

Periret totus orbis, nisi iram finiret misericordia. Porro qui in extrema salutis linea steterunt, & pedem retulerunt, Æsculapio gallũ debere olim dicebantur, quem tu pro me persolues non isti ænobarbo, sed alicui pauperi esurienti, vbi nobis pepereris, quod jam diu parturis. Sed potest ne quicquam esse absurdius, ant fidei magis absonum, quàm marem te esse, & prægnantem, propinqua partitudo cui appetit. Quis posset hoc Davo Terentiano persuadere, qui olim non credidit futuras esse nuptias, quia solitudo erat ante ostium? Hem, paululum opsonij, ipsus tristis, de improviso nuptiæ, non cohærent. Suspicio mihi nunc est, multos suspicarier te esse aut hermaphroditum, aut in muliebrem naturam transformatum, aut nescio quid monstri alere. ita gratiam graviditatis tuæ extinguit sinistra hominum opinio. Tu verò qui Oedipus es, & Sphingem habes domi, facilè nobis fidem facies, te non esse Androgynum, qui vtrosq; sic imitatur, vt neutrum sit, nec mas, nec fæmina: at marem in fæminam transfigurari, hoc naturæ repugnat. Prægnans es, & partui vicinus: at fœtum luci maturum non alvo contines, sed cerebro. Parturis, & paries nobis

nobis propediem non ſatyriſcum, non ridiculum murem, ſed philoſophiæ magiſtrum. Ego & quum te gravidum, & quum pulchrè plenum cogito, gaudeo. Dij date facultatem pariundi: Juno Lucina fer opem. Sed vt ſcrupulum tibi injiciam: quo jure audebis Bacchalaureum tuum jugulare, vt ex ejus cadavere novum formes magiſtrum? Quid comeruit, vt in illum tantopere ſævias? Quâ te laceſſivit injuriâ, vt cum illo agas ita inimiciter, inhumaniter, & hoſtiliter? Dulce & decorum eſt, inquis, Bacchalaureo pro Magiſtro mori. Prô hominum fidem! eſt ne hoc ornare bene meritos ex ſuis virtutibus, poſtquàm exantlaverunt omnes labores, præcipitare illos in mortis malum ſempiternum? oh, quàm diſſimiles eſtis Simoni Terentiano, qui ſuo Bacchalaureo Sociæ, ſummum quod habuit pretium perſolvit, propterea quod ſerviſſet liberaliter. Vide quid acturus ſis, mi Caſaubone: Generatio vnius, corruptio eſt alterius. Vita magiſtri, mors eſt Bacchalaurei. Nô hoſpes ab hoſpite tutus. Magiſter lupus eſt: Bacchalaureus verò gallus gallinaceus. ô Galli populares ſubvenite, ferte auxilium miſero gallo. Ex horum bipedum numero ſi multos pro nuptiali tuo gaudio mactaveris, non deerunt lupi edaces.

ces operam dentium gallis locaturi. Quod si etiam me volueris testem habere magnificentiæ tuæ, & laudum præconem, mitte literas animi tui interpretes: fortassis amorem academiæ vestræ ex longo intervallo regustabo, honestâ tecum voluptate ex æquo & bono fruiturus. Quid vis amplius? sive vocaveris, sive non vocaveris, non desinent boni ad bonorum convivia vltrò accedere. Præstò erunt lupi voraces ante partum, in partu, post partum gallorum amatores. Quæ voveam duo sunt, minimo vt relevêre dolore, vtq; magistrum parias: qui vbi ad gloriam virtutis viâ grassabitur, abundè potens, pollensq; & clarus erit. Vale, & finitis Cantabrigiensium comitijs me expecta. Londini 3. cal. Julij. M. DC. XXI.

EPISTOLA XVIII. *Lugd. Bat.*

CARLO HORN, *Baroni Sueco, ad magnas res gerendas accomodato.*

ADfuit mihi hic Londini junioir Leuhusius, novus hospes in amæna hac, & felici insula. Literas quidem ab alijs tulit, à te verò nihil præter vicariam salutem. Doleo sanè popularem non potuisse manum & stylū

tibi

tibi laxare, qui tamen omnia votiva de te nũtiavit. Cathedram academiæ Leydensis publicè conscendisti; coram Senatu populoque Academico verba fecisti; bene & sapienter dixisti; tui regis facta, moresq; prædicasti, memoriæ prodidisti, posteris tradidisti, cum laude utriusq; & factoris, & oratoris. Ita cum admiratione tot eruditorum hominum, palam fecisti, quantum intersit inter doctos, cultósque nobiles, & istos, qui nihil lucis habent, nisi à luce majorum. Quis generosum te non dixerit dignum genere, & præclaro nomine tanto? Ego quidem laudabili affectu adducor, ut te tam feliciter in hoc studiorum genere progressum hortari audeam ad constanter perseverandum in suscepto veræ laudis curriculo. Pulchrum est rebus præclarè gestis rempub. juvare, etiam aliorum benefacta dictis & scriptis exæquare, haud deforme est. Et qui fecêre, & qui facta aliorum scripsêre, multi laudantur.

Qui monet ut facias, quod facis, ipse monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Vale. Londini, Cal. Septembris, M. DC. XXI.

EPISTOLA X. *Lugd. Bat.*

CAROLO BANNER, *Suetica nobilitatis principi. S.*

MAgnas haud dubiè gratias pro unico epiſtolio expectas: at ego iratus frontẽ contraho, & aurem tibi vellico. Itáne poſt tantum temporis intervallum, & illo per ſilentium elapſo tribus verbis mihi reſpõdes, qui tot ſcriptis te laceſſivi? Voluiſti ſæpiùs ad me ſcribere? parum eſt voluiſſe, & non ſcipſiſſe. Non probo illud verbum bene vult, niſi in illo qui bene facit. Sed ne quid diſſimulem: gratæ mihi fuerunt tuæ, & quid multis? ſcio te id ſcire, Noſter Leuhuſius qui illas pertulit, occupationum tuarum etiam meminit: quẽ cur tu petaſſatum vocites, equidem ignoro, & lubens ex te diſcam, vbi viſum fuerit grãdi aliqua epiſtolâ, longâ latâq; iram meam placare. Sed quid te tam diu detinet Lugduni Batavorum? Num illa academia ſola meretur ſemina ſcientiarum menti tuæ injicere? Equidem nihil eſt in mortalium rebus ad ſuam pulchritudinem ſic exactum, quod tandem non fatiget contemplantem. Multa ſunt etiam in Anglia loca prudentiæ ac judicij notis commenda-

mendata, in quibus quos hactenus collegisti laboris tui fructus bene concoqui, & maturescere poterunt. Londinum, Urbs inter eximias Europæ celebrata, innumeris domibus ornata, vix tamen sui populi capax, digna profectò est, quæ pulcherrimum sui spectaculum tibi præbeat. Nihil nunc scribo in publicorum diversoriorũ comendationem, quæ peregrinos hîc excipiunt, mundè, lautè, nitidè. Cives habet civiliter doctos, magisterij titulo insignes; quorum etiam Uxores omnes sunt magistrę, in eodẽ ludo doctę. Habet quoq; hęc Insula duas antiquissimas & nobilissimas Academias, Oxoniensem & Cantabrigiensem; de primatu quidem inter se contendentes, sed judicio eruditorum pari passu ambulantes: cum nihil ferè dici possit in laudẽ unius, quod altera jure meritoq; sibi non vendicet. Nemo exterorum, huc venit, illas adit, quin recedat doctus Magister. Serenissimus princeps Carolus, Jacobi magnæ Britanniæ Regis filius, hũc honorem ab academia Oxoniensi sibi oblatũ non respuit, sed admisit. Tu ipse nolens volens, eodem honore hîc afficieris, & gustatis beatæ hujus insulæ delicijs, Magister ex Anglia in Galliam abibis. Non pænitebit te peregrinationis Britannicæ, qui bonis cultisque mori-

moribus moratus, & ad omnem ciuilitatem conformatus, dignissimus es optimatum hîc consortio misceri. Vale & veni magistrorum, magistrarumq; admirator. Londini prid. cal. Aug. M.DC.XXI.

EPISTOLA XX. *Lugd. Bat.*

CAROLO HORN, *Baroni Sueco, nominibus avorum generosissimo.*

QUid tuum ad Leydenses reditum impediverit, aut tardaverit, nescio: quid nos ex illa tarditate, & procrastinatione nostræ migrationi celeritatis indigenti odiosâ, passi sumus, meliùs scio quàm alij. Cum essem inprocinctu, vt solenne illud vale amicis dicerem, discessurus gestiebam tibi omnium primo genua amplecti, quem absentem solis cogitationibus complexus sum. Sed quod coram, ore ad os non licuit, hîc brevi scriptione suppleo, votaq; pro tua salute facio. Hodie, hoc est 4. Cal. Julij navim cogitamus conscendere, quâ trajiciemus in Angliam: sed ventis adhuc adversis hîc detinemur, cum quibus nautæ conflictari non verebuntur. Avertat modò DEUS insidias piratarum, vim tempestatum, & reliqua impedimenta,

menta, quæ nobis obicem videntur ponere, quo minus securè, & sine vitę periculo portum sperare possimus. Luctabimur cum metu mortis, & mortem nobis minantibus inimicis. Vbi hos cum bono DEO, itineris nostri duce, evasimus, à nauigantibus in portu expectabis literas triumphales. Interea Vale, & ora pro amicis periclitantibus. Flyssingæ. M.DC. XXII.

EPISTOLA XXI. Lugd. Bat.

GUSTAVO HORN, *Baroni Sueco, ad claritatem amplitudinemq́ue apto.*

Quod tibi absenti vale verbo dicere non potui, id scripto ex itinere transmisi. Nunc verò Londinum per DEI gratiam feliciter reversus, si prolixas literas amicis nostris Danis, Leydam proficiscentibus perferendas committerem, non solùm meo otio abuterer, sed etiam garrulæ Cimbrorum facundiæ diffiderem. Proinde vt & meis occupationibus parcam, & Danicæ loquacitati subveniam, ecce, scriptionis operam compendifacio, & paucis te absolvo. Quo in loco, & quo tempore Jacobus Britanniæ rex, amplissimo procerum agmine stipatus, suo cõ-

spectu

ſpectu nos beaverit, quàm hummanè & benignè optimatum amor nos exceperit, Danorũ relatu diſces melius: qui tibi narrabunt omnem rem ordine, vt factum ſit baſilicè, rerum baſilicarum non tantùmodo narratores, ſed etiam exornatores. Ego libenter epiſtolas à te accipiam frequens, ſed remittam ſæpius, & malo plus præſtare factis, quàm dictis polliceri. Tu tantum indica quid tuæ amabilitati placeat, quid acceptum ſit. Vale, & quæcũq; à Danis ornamenta in te proficiſcentur, elabora vt nos intelligamus, qui munera aliorũ noſtris ornare verbis conſuevimus. Londini. 13. cal. Aug. M. DC. XXII.

EPISTOLA XXII. *Lugd. Bat.*

BIORNONI DRACARDO, *Dano*. S.

VIvit hîc Londini quidam maſculus, nomine Biorno, Danus an Suecus ignoro, corpore parvus, animo magnus, viribus audax: à te, ob congruentiam, & ſimilitudinem nominis diligendus, à me, ob ſuas virtutes laudibus efferendus, vir contra audaciam fortiſſimus. Qui non paraſitando ventrem ſuum paſcit, ſed luctando, bellando pugnando ita fortiter, & animoſè, vt de illo omnia facilius

ciliùs credere possis, quàm quod hîc narrabo. Nuper maleficiorum multorum aut convictus, aut saltem de suspicionibus damnatus, vt in pomeridiano Spectaculo à ferocissimis, & furiosissimis canibus dilaniaretur, eductus est noster Biorno, masculus pugnax, bellicosus, lacertosus, & acriter morti se offerens; sed ita, vt omnia experiri certum esset, priusquàm periret. In illo memorabili prælio, & gravissimo conflictu, immaniores illi canes rabiosissimi, quibus nec audacia, nec dentes defuêre, impetus crudeles ac furibundos in nostrum Heroem fecêre; quorum alij jugulũ petebant, alij aures, alij pedes captabant, luctatores dolosi. Sed ille, quod & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, in tali casu omnem honestam rationem esse expediendæ salutis, vim illatam, quacunq; ope potuit, à corpore, à capite, ab auribus, ab oculis, à pedibus propulsavit, & pessumos invasores pessundedit.

— Hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpa.

Ex omnibus certè pugnis, quæ sunt innumerabiles, difficillima videbatur, quæ cum canibus commissa est, summa contentione

nepugnata. Equidem ſic acriter, & vehemẽter iſto prælio canino dimicavit, vt clamor omnium ſpectatorum maximâ cum victoris laude fieret, qui noſtri Herois cauſa clarè plaudebant. Vivat Biorno, maſculus bellipotens: vivat Biorno, ſapientiâ militari potens: vivat Biorno Heros, caninæ conjurationis vindex, cuſtos defenſorq; juris & libertatis, inocentiæ ſuæ propugnator pugnaciſſimus. Nemo eſt qui factis illum æquiparare poteſt. Tãdem multis cicatricibus adverſo corpore inſignis, nullis in tergo deformis, victis & ſubactis hoſtibus, bellicâ coronâ exornatus triumphavit. Poſt triumphum in Prytaneum ſolenniter deductus eſt, ex publico alendus: ſed eâ lege, atq; cõditione, vt ſingulis ſeptimanis ter ad minimum in forum prodeat, caninã audaciam publicè puniturus, ne cibum alienum gratis edere videatur. Moneo dominos canes, vt prudenter magis, quàm audacter ad mordendum veniant: alioquin vapulabunt, & multis ærumnis deluctabunt, ventri dum cibum quærunt. Vale & me non inſcitè nugatum eſſe puta de Vrſo, quem Sueci & Dani ſuo idiomate vocant Biörn. Londini 13. cal. Aug. M. DC. XXII.

EPI.

EPISTOLA XXIII.

REGNERO LEUHUSIO, *Mercatorum pro tempore Clienti. S.*

Quas ad me dedisti 7. Cal. Octob. accepi hodie: verùm quo fato, aut cujus culpâ priores tuæ ad me non pervenerint, tibi investigandũ, inquirendũ & examinandũ relinquo. Quod si tibi mea ars effecerit, quod per me rectè curatũ voluisti, nihil erit unquã tã promptũ aut paratũ, quàm ad omnia quę voluero humile obsequium ac officium tuum. Capillos promittam, optimum est, incipiam hariolari. Puto te valere pol haud à pecunia perbene: meliusq́ue capillatum esse, quàm nummatum. Locupletari vis novo viatico: amicitiarum præsidia ubiq; quæris. At at hinc illæ lacrumæ, neq; Londini, neq; Lugduni Batavorum tibi quicquam creditur. Quid hoc monstri est? Tu, cui Ambsterodami & Stocholmiæ divitiæ maximæ sunt, non potes tuis blanditijs à mercatoribus Anglis nummulorum aliquid ad fidem exprimere? Nimis es miser, thesseram fregisti. Hospes tuus Londinensis non potest ullis precibus exorari, ut te re pecuniariâ juvet; qui mallet cœnam dare via-

cicam, quàm viaticulum tibi corradere. Vides avaritia tui patroni quid facit? potius marsupium tuum exinaniret, quàm repleret. Ego tibi medicinam consilii, atq; orationis meæ, si quam potero, afferam: aures montes polliceri non audeo. Sed obdura, & temet rebus serva secundis. Vale. Londini 16. Cal. August. M. DC. XXII.

EPISTOLA XXIV. *Stocholmiam.*

LAURENTIO CRUSIO, *Nobili Sueco.* S.

Quod te compellem blanditer, tuaq; studia bnevolo voto complectar, pro pignore atq; indicio capies præcipui cujusdam amoris, quo honoratum tuũ patrem colo & observo: cujus etiam authoritati acceptum feres, quod inter studiorum tuorum præsides, partes mihi arrogem monitoris. Quę in mari necessaria est gubernatori & nautis providentia, illa quoq; liberalium artium doctoribus atque discipulis commendari debet, ut navigantes in immenso literarũ oceano cursum dirigant ad certam & optatam metam. Nescienti enim quem portum petat, nullus ventus suus est. Infinita rerum in scientijs amænitas se tibi offeret: quæ tuo condũcunt

cunt instituto prudenter elige, & satiùs esse puta in una aliqua arte excellere, quàm in multis errare. Stylum & mentem formabunt Philosophi, Oratores, Poëtæ: cum quibus arctissimo necessitudinis vinculo conjuncti bene & sapienter; lautè & minimè sordidè loquemur. Sed ne te multis hîc morer: si methodū studendi à me compositam, & parenti tuo cōmunicatam diligenter inspexeris, facilè observabis delectum librorum esse habendum, & cognitis probatis authoribus, contemnendos plebejos, qui inquinant, non alunt. Vale, & ita naviga, ut quē destinasti portum, teneas. Londini 3. Cal. Aug. M. DC. XXII.

EPISTOLA XXV.

CAROLO BANNER, *Clarißimo Suecorum lumini. S.*

QUum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero, teque & istam rationem otij tui & laudo vehementer, & probo: qui probè scio te ea præstiturum, quæ à summa virtute, summoq; ingenio expectari debent, omniaq; summa consecuturum virtute duce, comite fortuna. Sed hæc omnia silentio potiùs involvenda, quàm blando ser-

tione obeunda sunt, ne videar assentationis vitio tuam gratiam aucupari, qui animum amas simplicem, nullâ simulatione tectum, nullâ arte coloratum. Kroppenburg mercator literas tibi scriptas, & sibi delatas, bonâ fide à se ad te ablegavit: interea temporis nullas accepit, quæ tui desiderio laborant, & ad te provocant. De thesauro tuo hîc Londini relicto, ne sis sollicitus, cujus curã ego sollicitè ago, teq; in utramvis aurem dormire jubeo, persuasumq; habere, sartum tectum futurum me custode, quicquid in arcanis loculis reconditum latet. Noster Themestinus subductâ ratiunculâ, quantum æris sibi, quantum alieni esset: divitem & beatum se dixit, si nihil teneretur reddere ijs, quibus multum debet. Oxonij vestes pretiosas, & elegantes sibi comparavit, fidejussore suo hospite, cui Londinum excursurus arcam reliquit thesauro lapideo gravem, reversionis suæ obsidem. Sed ære alieno contracto, & non exoluto, clam ex Anglia se subduxit, & creditores suos plorare jussit: quibus ingratus cuculus nunquã verbis solvet, quod re malefecerit. Ego quia gratus sum, hominẽ hortabor, ut ingratitudinis notâ exutâ personam mutet, fiatq; ex malo debitore bonum nomen. Vale & perfice, ut non minus Britannia

nia tibi, quàm tu Britanniæ debeas. Londini, 4. Id. Aug. M.DC.XXII.

EPISTOLA XXVI. *Stocholmiam.*

LAURENTIO CRUSIO, *Nobili Sueco.* S.

SOcrates, vir ſapientiâ clarus, eodem ſemper viſus vultu, nec aut hilari magis, aut turbato, omne laudis & voti punctum ſetuliſſe credidit, ſi quacunque ſuadâ, vel arte conſecutus eſſet, ut homines ad veræ laudis & virtutis ſtudium excitarentur. Ego gratum interpretabor officium, ſi quam tui fratres meæ fidei commiſſi, inter nos conciliant amicitiam, mutuo fovere non gravaberis literarū alloquio. Frater tuus Franciſcus, qui pertinax & obſtinatum tuum ſilentium merito caſtigavit, hoc agit, ut quotidianâ diligentiâ ſarciat immenſa damna innocentium annorum, & quod mireris, pulchrè procedit. Tu quoq; ſi ſapis, ſilentij culpam in poſterum emendabis, ut quod hactenus omiſſum eſt, id literarū crebritate reparetur. Quid quæſo magis decet fratres locorū intervallis ſejunctos, quàm adempto per ſeparationem corporum loquēdi audiendiq; commercio, hunc defectum Epiſtolarum commutatione ſupplere? Arrige au-

aures mi Crusi: quippe seriò tibi suadeo styli exercitium, de cujus intermissione aurem nobis peruellit apud Tullium Crassus. Caput, inquit (quod vt verè dicam minimè facimus) est enim magni laboris; quem pleriq; fugimus, quàm plurimum scribere. Ita est, strenua nos exercet inertia. Vale, & memento stylum esse optimum, & præstantissimum dicendi effectorem, & magistrum. Londini 3. cal. sept. M. DC. XXII.

EPISTOLA XXVII.

CAROLO BANNER, *Optimatum Suecorum nobilissimo. S.*

GRaviter & molestè silentiũ tuum patior nescius quid causæ sit, cur tabellarij jam bis sine tuis literis ad me redierint, qui graviùs indies, & impatientiùs fero, quod ferendum non est. Equidem nisi maturè longæ querelæ necessitatem præoccupet oratio tua, certam tibi mouebo litem, postulaturus obliuionis, aut negligentiæ, aut alterius criminis, quod suspiciosus amor timere poterit. Optima enim nomina non appellando fiunt mala. Heri fortè fortuna in istum nobilem pomeranum incidi, cujus lauticias

ticias & mollem incessum Leydæ olim risimus, risu dignum. quippe suspenso gradu ad sacram Lutheranorum concionem placidè nos præcedere solebat: quasi via illa Martiniana, quæ ad Luthericolarum sacra ducit, spinis esset obsita, & necesse foret incedentem per talem viã suspensos habere pedes. At ego pro veteri illa patrum religione, quæ interea in me incessit, credo molliculi hominis pedes non spinas Lutheranorum calcare, sed habere; ex quibus tenero ac molli passu suspendit gradum, nec ambulat, sed incedit. Sinamus quæso illum, vultum ac incessum fingere, quò videatur non gravior, sed mollior atq; effeminatior hæreticus. Literas tamen à Generoso Barone Hornio tibi scriptas offerenti egi gratias, & vicariam operam in illis ablegandis promisi, quas meis adjunctas hîc videbis. Ante octiduum migravimus ex domo Scoti, in aliam nobis percommodam: ita vt non amplius desideremus delicias civitatis Batoniensis, cariori pretio à nobis emptas. Novus noster Hospes, robustus est venator, semper paratus tristiciam nostram ex continuatione pertinacis studij contractam, feriarum & venationum hilaritate, discutere. Exivit hodie mane cum nostris Crusijs,

sijs,

ſijs, leporibus inſidiaturus: ſed quæ futura ſint venatici ſudoris p̄mia neſcio: hoc ſcio, ſi quid prædæ ex venatione collectum fuerit, gaudio triumphabit par nobile fratrum. Comes Mansfeldius aliâ venatione ad famam, & æternam ſui nominis apud poſteros gloriam graſſatur. Conſequitur ſuis laboribus venando; ſudoribus curſitando; paſſionibus eſuriendo ac ſitiendo; ut omnis de illo poſteritas loquatur. Milites dicitur habere tam feros, ut humanis carnibus veſcantur: & cum per ſylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumque reperiant, paſtorum nates & fœminarum papillas abſcindunt, quas præcipuas militarum ciborum delicias arbitrantur. His enim rebus, uti rumor eſt, militum Mansfeldianorum epulæ condiuntur. Dux Brunsvicenſis nomine Chriſtianus, moribus plus quàm Paganus, acceptis tribus ex numero conflictu vulneribus, brachium amiſit; qui cum fatuo delectari velit, non eſt ipſi longè quærendus, ſeipſum rideat. Vale, & fatalem fatuitatem fatuo dignam puta. Londini, 4. Non. Octobris, M. DC. XXII.

EPI-

EPISTOLA XXVIII.

CAROLO BANNER, *Nobili verè generoso, simplici virtute merenti semper quam captanti gloriam. S.*

SIcut mihi coram gratus suavisque semper fuisti, ita tua Epistola, quę velut imaginem tui exhibuit, non potuit nó esse gratissima. Placuit tibi non modò primordia amoris nostri repetere, & memoriam veteris nostrę consuetudinis gratâ recordatione recolere, sed etiam palam facere, te esse ex eorum numero, quos promissa alligant. Debuisti scribere, quia promisisti. Equidem multo æquiùs est non polliceri, quàm promissa non servare. Video insuper te non indelectari meâ in scribendo diligentiâ, ut ex literis meis rerum novarũ copiam habeas. Sed quid novi expectas in veteri orbe? Eadem mundi fabula agitur, mutatis tantum temporibus & personis: nihil nunc dicitur, quod non sit dictum prius: nihil nunc fit, cujus simile prius non sit factum: nihil sub Sole novum. Hoc ego compendio consuevi placare curiosum & famelicum hominum genus, qui proximorum incuriosi scrupulosè inquirunt, quid ab hoc Thrasone fiat, quid ab

illo satrapa agatur. Nec potest te latere rerum humanarum vicissitudo, qui venerandā antiquitatem tam diligenter scrutaris, & sacras profanasque historias nocturnâ diurnâq; manu versas.

Nil ait esse novum Salomon sub Sole; Columbus
In veteri, mundum repperit orbe, novum.

Bellicosus ille Mansfeldius, vetustissimæ fabulæ novitius actor, juratus imperij Romani hostis, dementiâ Calvinianâ depravatus, nunc dicitur esse in Frisia Orientali, vt iram suam in Frisios evomat, dum ægritudo ejus est recens. Larvæ illum, atq; intemperiæ insaniæq; agitant imperatorem, Romano Imperatori invisum atq; odiosum. Comiti Embdensi tributum imperavit grassator, in ultionem plurimorū adjumentorum, quæ subministrasse creditur Marchioni Spinolæ, cum obsidione tentaret Bergā ad Zomam. Sed Comes ille mortuum se mavult letho malo, quàm imperata facere. Interim, quod ille dixit, qui secundo vectus est mari, prædatores Māsfeldiani ventum gaudent ad Frisios, ita apud illos suavibus accipiuntur modis. Quid futurum sit, fuge quærere: Mansfeldius ipse, Vir Campestris tandem dicturus est;

Multa-

Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Spinola in procinctu esse putatur, vt labora
tibus lętum aliquod, & faustum sydus affulg
at: sed princeps Mauritius haud dubiè mu
molitur ad impediēda, & disturbanda Spino
stratagementa. Grassatores Mansfeldici ta
tum habent, quantum rapere possunt. Mans
Deus raptores illos in jus rapiet. Mansf
dius philosophus militaris hortatur, vt
poribus rapicidarum animas migraturas è
grent fortiter, migrent feliciter. Galli ve
rei nepotuli, jucunduli amasij, amatorijs le
tatibus dediti, in labellis amicularum fu
rum morsiculatim lusitantes, amoris po
lum hauriunt merè, & hamum vorant. I
ulcerati scorpionũ morsu, plumbeas iras
runt. Qui terras trementes, & terrentes n
timent Hispani, biliosorum humorum ab
dantiâ suffocantur. Qui vastum maris æqu
arare non verentur; qui ventos omnes und
erumpentes, sævos turbines, fervens æstu
lagus non exstimescunt; qui maritumis mo
bus cum Hispanis ex periuntur, nec fluctib
submerguntur fluctifragi Hollandi, stillici
pereunt. Puri puti germani nunquam t
mane egrediūtur, neq; tā vesperi domū rev
tun

tuntur, quin ſemper ſitiant : ſed malè lapſâ per fauces potione ſtrangulantur. Sueci & Dani, Scoti & Angli aſellis veſcuntur, & ſalſamentis victitant : ſed duritiâ cibi parum obſequentis ſtomacho, duriuſculi in ſua hæreſi facti, duriter conſulunt de fidei Catholicæ amatoribus. Lutheraniſſimi Lutherani, papæ cerviſiarij cultores, atq; imitatores ita condiunt ſuam hæreſin, ut nihil poſſit eſſe ſuavius: deliteſcunt in quadam cauponula, atque ibi vino & epulis retenti, perpotant uſq; ad veſperum : deinde tenebris cooperti bellum cauponantur pulchrum. Calviniſtæ non calveſiunt, ſed jam calvi ſunt, & calvitij deformitatem æquiſſimè ferunt. Stoici voluntariâ morte occumbentes interficiunt ſe vitâ & lumine, peſſumis exemplis. In peripatum iter Stoicorum interemptione patefactum eſt. Platonici dare volunt communes uxores mundanis, quantum poſſunt : ad eam rem faciunt novũ gynæceum : ſed occidunt mundanos, dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere. Londini anno ſuperiori nati ſũt 8747 : denati 9072. Ex hoc numero defunctorum eſt hoſpes noſtrorum popularium, profeſſione ſartor cum viveret ; cui etiam moriendi otium fuit in tanto negotio. Ejus mortem rhetoricè & tragicè

gicè ornare possem, si Rhetor & tragicus e
vellem. Si me roges ut de te Tragœdiam sc
bam, abnuo: at precor Deum, ne tibi accid
aliquid Tragediæ proprium. Vale. Lond
4. Id. Decemb. M.DC.XXII.

EPISTOLA XXIX.

REGNERO LEUHUSIO, *Philoso*
militari, & Academicorum patrono. S.

Doles & acerbè fers, quod tibi non
scripserim cum Nobilissimo Banne
mitte acerbitatem, & dolore de fin
jam rescribo. Si gratiam tuam apud me
luisse suspicaris, vilissima est tua suspic
Quos enim vilipendo, respondere his au
vel occupatus, tibi, nec otiosus. Quid a
inferos agatur, Socratici nesciunt: qui p
nec Socrates eò unquam ivit, nec cum q
quam inde reverso loquutus est. Quæ fu
Socratē, nihil ad Socratem. Academici O
nienses in verba Aristotelis jurarunt; qui
hementissimâ contentione animorum &
geniorum disputant de Cyatheitatibus, m
seitatibus, hæcceitatibus. Canthabrigie
liberè philosophantur, & modò Thomi
modò Scotistas oppugnant. Quo temp

utriusq; academiæ fundamenta jacta fuerint sciscitari licet, scire non licet ab illis, qui prima rerum principia naturaliter sciri strenuè negant. Sed qui rem ipsam vt facta est ad audientes liberè proferunt, qui dicenda tacenda loquuntur, horribile illud arcanum effutiunt: academiam oxoniensem ætate superiorem esse, ciuilitate verò inferiorem. Canthabrigienses enim in suis, (vt vocant) comitijs delicias faciunt; Oxoniensibus obviam eunt, illosq; ad sua scitamenta scitè invitant; academicis academicam operam offerunt, & præstant. Nobis, inquiunt, auscultate, videte ne vobis desitis. Ita peregrinos affabilitate & comitate ad academicas suas epulas benignè trahunt. Oxonienses verò civiliter quidem loquuntur, sed non pari civilitate Canthabrigienses in suis solennitatibus recipiunt. Nunc tu æstima, facta an dicta pluris sint. Vis ex singulari duorum academicorum certamine, & philosophico prælio documentum capere, quid sit victis extimescendum? En magnum subtilitatis philosophicæ specimen. Locum esse conservatorē locati, Canthabrigiæ in magno Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum & Philosophorum cætu, me quoq; presente, qui-

dam

dam ejus academiæ alumnus acutus Sophi-
argutè defendit. Cui se opposuit quid-
Oxoniensis, argutissimus de rebus difficili-
disputator, stentore clamosior, Canthabrig-
sium castrorum explorator; qui audacissi-
negavit verum esse de omni loco; qu-
conservet locatum, hâc captiosâ argumen-
tione:

Laqueus est locus colli furis suspensi:
Sed locus ille collum obstrictum abducit in mal-
Crutem, & stringendo gulam necat.
Ergo non omnis locus est locati conservator.

Ad hanc tam brevem & acutulam concl-
nē Canthabrigiensis primùm obmutuit, qu-
si ad laqueum fuisset adactus: sed mox re-
lecto animo, quum nodum illum perplex-
simpliciter dissolvere non posset, distinctio-
ense dissecuit. Laqueus, inquit, duplic-
accipitur, laxè, & strictè. Laxè sumptus, n-
turam loci præ se ferens, collum furis conse-
vat, strictè verò acceptus, naturam loci ami-
tens, fauces constringendo, spiritum præcl-
dit. Huic respōso cum à cuncto consessu pla-
sus esset multiplex datus, quidam libertin-
se erexit, & gaudio exclamavit, Oxoniens-
colla in laqueum inserere: Canthabrigiens-
verò inserentibus subvenire, & laqueu-
ill-

ſijs, leporibus inſidiaturus: ſed quæ futura ſint venatici ſudoris p̄mia neſcio: hoc ſcio, ſi quid prædæ ex venatione collectum fuerit, gaudio triumphabit par nobile fratrum. Comes Mansfeldius aliâ venatione ad famam, & ęternam ſui nominis apud poſteros gloriam graſſatur. Conſequitur ſuis laboribus venando; ſudoribus curſitando; paſſionibus eſuriendo ac ſitiendo; ut omnis de illo poſteritas loquatur. Milites dicitur habere tam feros, ut humanis carnibus veſcantur: & cum per ſylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumque reperiant, paſtorum nates & fęminarum papillas abſcindunt, quas præcipuas militarum ciborum delicias arbitrantur. His enim rebus, uti rumor eſt, militum Mansfeldianorum epulæ condiuntur. Dux Brunsvicenſis nomine Chriſtianus, moribus plus quàm Paganus, acceptis tribus ex numero conflictu vulneribus, brachium amiſit; qui cum fatuo delectari velit, non eſt ipſi longè quærendus, ſeipſum rideat. Vale, & fatalem fatuitatem fatuo dignam puta. Londini, 4. Non. Octobris,

M. DC. XXII.

EPISTOLA XXVIII.

CAROLO BANNER, *Nobili verè generoso simplici virtute merenti semper quam captanti gloriam. S.*

Sicut mihi coram gratus suavisque semper fuisti, ita tua Epistola, quę velut imaginem tui exhibuit, non potuit nō esse gratissima. Placuit tibi non modò primordia amoris nostri repetere, & memoriam veteris nostrę consuetudinis gratâ recordatione recolere, sed etiam palam facere, te esse ex eorum numero, quos promissa alligant. Debuisti scribere, quia promisisti. Equidem multo æquiùs est non polliceri, quàm promissa non servare. Video insuper te non indelectari meâ in scribendo diligentiâ, ut ex literis meis rerum novarū copiam habeas. Sed quid novi expectas in veteri orbe? Eadem mundi fabula agitur, mutatis tantum temporibus & personis: nihil nunc dicitur, quod non sit dictum prius: nihil nunc fit, cujus simile prius non sit factum: nihil sub Sole novum. Hoc ego compendio consuevi placare curiosum & famelicum hominum genus, qui proximorum incuriosi scrupulosè inquirunt, quid ab hoc Thrasone fiat, quid ab

illo satrapa agatur. Nec potest te latere rerum humanarum vicissitudo, qui venerandã antiquitatem tam diligenter scrutaris, & sacras profanasque historias nocturnâ diurnâq; manu versas.

Nil ait esse novum Salomon sub Sole; Columbus
In veteri, mundum repperit orbe, novum.

Bellicosus ille Mansfeldius, vetustissimæ fabulæ novitius actor, juratus imperij Romani hostis, dementiâ calvinianâ depravatus, nunc dicitur esse in Frisia Orientali, vt iram suam in Frisios evomat, dum ægritudo ejus est recens. Larvæ illum, atq; intemperiæ insaniæq; agitant imperatorem, Romano Imperatori invisum atq; odiosum. Comiti Embdensi tributum imperavit grassator, in ultionem plurimorũ adjumentorum, quæ subministrasse creditur Marchioni Spinolæ, cum obsidione tentaret Bergã ad Zomam. Sed Comes ille mortuum se mavult letho malo, quàm imperata facere. Interim, quod ille dixit, qui secundo vectus est mari, prædatores Mãsfeldiani ventum gaudent ad Frisios, ita apud illos suavibus accipiuntur modis. Quid futurum sit, fuge quærere: Mansfeldius ipse, Vir Campestris tandem dicturus est;

Multa-

Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Spinola in procinctu esse putatur, vt laborantibus lętum aliquod, & faustum sydus affulgeat: sed princeps Mauritius haud dubiè multa molitur ad impediēda, & disturbanda Spinolæ stratagementa. Grassatores Mansfeldici tantum habent, quantum rapere possunt: sed DEUS raptores illos in jus rapiet. Mansfeldius philosophus militaris migraturas è corporibus rapicidarum animas hortatur, vt migrent fortiter, migrent feliciter. Galli venerei nepotuli, jucunduli amasij, amatorijs levitatibus dediti, in labellis amicularum suarum morsiculatim lusitantes, amoris poculum hauriunt merè, & hamum vorant. Itali ulcerati scorpionū morsu, plumbeas iras gerunt. Qui terras trementes, & terrentes non timent Hispani, biliosorum humorum abundantiâ suffocantur. Qui vastum maris æquor arare non verentur; qui ventos omnes undiq; erumpentes, sævos turbines, fervens æstu pelagus non exstimescunt; qui maritumis moribus cum Hispanis experiuntur, nec fluctibus submerguntur fluctifragi Hollandi, stillicidio pereunt. Puri puti germani nunquam tam mane egrediūtur, neq; tā vesperi domū revertuntur,

tuntur, quin ſemper ſitiant : ſed malè lapſâ per fauces potione ſtrangulantur. Sueci & Dani, Scoti & Angli aſellis veſcuntur, & ſalſamentis victitant : ſed duritiâ cibi parum obſequentis ſtomacho, duriuſculi in ſua hæreſi facti, duriter conſulunt de fidei Catholicæ amatoribus. Lutheraniſſimi Lutherani, papæ cerviſiarij cultores, atq; imitatores ita condiunt ſuam hæreſin, ut nihil poſſit eſſe ſuavius: deliteſcunt in quadam cauponula, atque ibi vino & epulis retenti, perpotant uſq; ad veſperum : deinde tenebris cooperti bellum cauponantur pulchrum. Calviniſtæ non calveſiunt, ſed jam calvi ſunt, & calvitij deformitatem æquiſſimè ferunt. Stoici voluntariâ morte occumbentes interficiunt ſe vitâ & lumine, peſſumis exemplis. In peripatum iter Stoicorum interemptione patefactum eſt. Platonici dare volunt communes uxores mundanis, quantum poſſunt : ad eam rem faciunt novũ gynæceum : ſed occidunt mundanos, dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere. Londini anno ſuperiori nati ſũt 8747 : denati *9072*. Ex hoc numero defunctorum eſt hoſpes noſtrorum popularium, profeſſione ſartor cum viveret ; cui etiam moriendi otium fuit in tanto negotio. Ejus mortem rhetoricè & tragicè

gicè ornare possem, si Rhetor & tragicus es vellem. Si me roges ut de te Tragœdiam scribam, abnuo: at precor DEUM, ne tibi accidat aliquid Tragediæ proprium. Vale. Londini 4. Id. Decemb. M.DC.XXII.

EPISTOLA XXIX.

REGNERO LEUHUSIO, *Philosopho militari, & Academicorum patrono. S.*

DOles & acerbè fers, quod tibi non rescripserim cum Nobilissimo Bannero: mitte acerbitatem, & dolore desine, jam rescribo. Si gratiam tuam apud me viluisse suspicaris, vilissima est tua suspicio. Quos enim vilipendo, respondere his audeo vel occupatus, tibi, nec otiosus. Quid apud inferos agatur, Socratici nesciunt: quippe nec Socrates eò unquam ivit, nec cum quoquam inde reverso loquutus est. Quæ supra Socratē, nihil ad Socratem. Academici Oxonienses in verba Aristotelis jurarunt; qui vehementissimâ contentione animorum & ingeniorum disputant de Cyatheitatibus, menseitatibus, hæcceitatibus. Canthabrigienses liberè philosophantur, & modò Thomistas, modò Scotistas oppugnant. Quo tempore

utri-

utriusq; academiæ fundamenta jacta fuerint sciscitari licet, scire non licet ab illis, qui prima rerum principia naturaliter sciri strenuè negant: Sed qui rem ipsam vt facta est ad audientes liberè proferunt, qui dicenda tacenda loquuntur, horribile illud arcanum effutiunt: academiam oxoniensem ætate superiorem esse, civilitate verò inferiorem. Canthabrigienses enim in suis, (vt vocant) comitijs delicias faciunt; Oxoniensibus obviam eunt, illosq; ad sua scitamenta scitè invitant; academicis academicam operam offerunt, & præstant. Nobis, inquiunt, auscultate, videte ne vobis desitis. Ita peregrinos affabilitate & comitate ad academicas suas epulas benignè trahunt. Oxonienses verò civiliter quidem loquuntur, sed non pari civilitate Canthabrigienses in suis solennitatibus recipiunt. Nunc tu æstima, facta an dicta pluris sint. Vis ex singulari duorum academicorum certamine, & philosophico prælio documentum capere, quid sit victis extimescendum? En magnum subtilitatis philosophicæ specimen. Locum esse conservatorē locati, Canthabrigiæ in magno Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum & Philosophorum cætu, me quoq; presente, quidam

dam ejus academiæ alumnus acutus Sophista argutè defendit. Cui se opposuit quidam Oxoniensis, argutissimus de rebus difficilimis disputator, stentore clamosior, Canthabrigiẽsium castrorum explorator; qui audacissimè negavit verum esse de omni loco, quod conservet locatum, hâc captiosâ argumentatione:

Laqueus est locus colli furis suspensi:
Sed locus ille collum obstrictum abducit in malam
Crutem, & stringendo gulam necat.
Ergo non omnis locus est locati conservator.

Ad hanc tam brevem & acutulam conclusiné Canthabrigiensis primùm obmutuit, quasi ad laqueum fuisset adactus: sed mox recollecto animo, quum nodum illum perplexum simpliciter dissolvere non posset, distinctionis ense dissecuit. Laqueus, inquit, dupliciter accipitur, laxè, & strictè. Laxè sumptus, naturam loci præ se ferens, collum furis conservat, strictè verò acceptus, naturam loci amittens, fauces constringendo, spiritum præcludit. Huic respõso cum à cuncto consessu plausus esset multiplex datus, quidam libertinus se erexit, & gaudio exclamavit, Oxonienses colla in laqueum inserere: Canthabrigienses verò inserentibus subvenire, & laqueum illis

illis præcidere. ô faustum, felicem & prosperum diem, quo ad illud philosophicum Academicorum concilium, cætumque profectus sum. Magnum enim profectum sub philosophis sapientiæ doctoribus feci, qui didici inter laqueum laxè, & strictè sumptum discernere. Præsens promovi non parum, nodũ Gordium philosophicè dissolvere novi. Sed antiquæ sapientiæ cultores credunt, nihil esse iniquius his, qui nũsquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est præter subtilitatem. Quis delebit omnem dehinc ex animis philosophorũ æmulationem & seditionem? Quis suâ authoritate efficiet; ut Aristippus incipiat prandere olus patienter? cænet ut pariter pulmenta laboribus empta? & desinat esse canis regius? Quis magnum illum Dolij inhabitatorẽ Diogenem docebit siccum accedere ad unctos principes; regibus uti; fastidire brassicam; & paulò benignius se tractare? Quis Democrito lacrymas eliciet; qui omnia quæ agimus risu digna videntur? Quis risum movebit Heraclito? cui omnia humana fletu digna! aquã c[illegible]us è pumice, quàm unam falsam lacrymulam Democrito expresseris? Prata rident, flente Heraclito. Sic se res habet, me mea: te tua delectant. Solvatur in risum Democritus: in fle-

fletum Heraclitus. Fleat hic: rideat ille. Vescatur crudis oleribus Diogenes: utatur regibus Aristippus.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Ille adulatur sibi: hic alijs. Qui arrident regibus, non placent populo. Dispares mores disparia studia sequuntur. Ubi tu Poëtarum furore iterum correptus fueris, erudies nos, cur Chrysis ex Andro Athenas navigarit? quamobrem Florẽtinæ meretrices, quæ sedulò mũditer se habent, vix ægrè amatorculos inveniant? quid sentiant Jureconsulti de Diogene? qui musicos in jus vocavit, quod lyræ chordas congruè aptarent, animi mores negligerent. De mundo an sit animatus? rursus an globosus? frustrà quęsieris in corpore juris: ubi altum de hac curiosa subtilitate silentium. Mitte ergo quæ subtilia, obscura, arcana: & neglecto mundo, mundiciem cura. Fortunato nostro fortunam suam non invideo: sed felicẽ arbitror, nisi vnum desit, mens sana in corpore sano. Fortunati quoq; amicitiã ludibrio & despectui, inimicis non expono: tantum hic obiter protestor, vt Fortunatus fortunam, sic ego Fortunatum feram. Vale, & Fortunato aurẽ pervelle, ne sua fortunã abutatur. Londini 15. *Cal. Jan.* M. DC. XXII.

H

EPISTOLA XXX.

CAROLO BANNER, *avorum & morum nobilitate eminentissimo* S.

REdeunti mihi ab amicis ruri comorantibus, præstò erāt literæ tuæ quovis melle dulciores. Sed non facilè dixerim, quanto me gaudio delibutum reddunt, quod videam amoris mei non fucati indicia vehementer tibi placere. Vota tua ab optima mente, & candidissimo pectore profecta, amens sim ni grato animo agnoscam. Potestatem mihi insuper facis literis inserciendi, quicquid sub acumen styli venerit, modò ex illis discas, quid agant populares nostri. Equidem nisi familiariter vivant, familiares non sunt. Diversos tamen diversa juvant: quippe non omnibus annis omnia conveniunt.

Exultat levitate puer, gravitate senectus:
Inter vtrumq; manens stat juvenile decus.

Seniorem Baronem Horn admonui, vt aliquot saltem literarum suarum guttulis te aspergeret: sed nescio quo mærore fit, vt nec mens ad cogitandum, nec manus ipsi ad scribendū apta sit. Si breves illi inducias dederis, colligendi sui causa rus ibit; recollectus, tibi arridebit.

debit. Ego consilium cepi revisendi qu[...]
agant Oxonienses, aut quid cosilij capter[...]
Canthabrigienses, vt illa excursione me ob[...]
lectem quàm bellissimè. Deinde excurso illo
spatio, lætanti animo, & spe optimè confir-
matâ vnà tecum ex Anglia in Galliam abire.
Damnet nos Deus voti nostri. Vale. Londini
4 Cal. Feb. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXI. *Ilfordium.*

CAROLO HORN, *Baroni Sueco, altitudine animi nobilissimo.* S.

Quis ad te venturus sum nequeo dicere: quia nec privatus vocari volo, magnus quondam in academia Upsaliensi Bea-norum imperator à te, & tota nobilitate Sue-tica nominatus, appellatus, salutatus: nec ille fortassis, quem Upsaliæ imperij mei successo-rem reliqui, patietur me pristinâ Majestate uti. Utut hæc sunt facta, potiùs quā lites sequar, de meo jure aliquid remittam. Felicem verò te esse arbitror, quod vrbe Londinensi relictâ, rus elegeris amænum, & suburbanum, totūq; in quietem te contuleris. Si tecum cogitave-ris quā multa sint in urbe ab honestis studijs, à vitæ innocentia, & morum probitate avoca-

menta, non immeritò ad ſtudia vrbanorum, & civium ineptias accomodabis illud Comici. Novi ego hoc ſeculum moribus quibus ſit: malus bonum malum eſſe vult, vt ſit ſui ſimilis, turbant, miſcent mores mali. Et profectò ſic eſt, adfert quiſq; in urbem ſuas culpas, quas mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem, capiuntq; morbos animorum. Inter tot vitia, ſatoreſque ſcelerum, quis libris liber locus? quis lectionibus, commentationibus & meditationibus? ſine quibus cognata ignorantia non eradicabitur, & ager mentis noſtræ jacebit incultus, ſpinis obſitus. Dictum eſt antiquitùs, eũ oportere egregiè probum eſſe, qui Athenis eſſe probus: at ego idipſum non ineptè dixerim de civitate Londinenſium, quorum pleriq; magis agunt *negotium ventris* quàm mentis: quibus gulæ mãcipijs permixtus, ſi totus vivat liberalibus artibus, nec ullo malorum cõtagio corrumpatur, is inſigniter bonus ſit oportet. Et hoc eſt quod noſter Comicus ait: qui conflictatur cum ingenijs ejuſmodi, nec commovetur animus in ea re tamen, ſcias poſſe habere jam ipſum ſuæ vitæ modum. Hanc igitur migrationem ex vrbe in agros feliciter tibi tuiſq; evenire volo, qui probè ſcio magnorum virorum judicio vitã

ruſticam

rusticam parsimoniæ & diligentiæ magistr
esse; immò sapientiæ proximam, & quasi co
sanguineam. Gratulatur vobis bonam me
tem disertissimus Romuli nepotum Cicero
qui colligendi sui causâ se in Tusculanum sa
penumero recepit: & magnum nostri secu.
jubar Lipsius, qui in suo Iscano toties requie
vit. Vtamini ergo hoc secessu, cum bono &
prospero successu, more summorum virorum,
qui vobis hanc ad sapientiam viam suo exem-
plo monstrarunt. Mirè etenim in loco beato,
nugarum Urbanarum vacuo, silentij & tran-
quillitatis pleno animus alitur, abijs quę avo-
cant abductus, & liber, & vobis relictus, non
jam oculos animo, sed animum oculis sequi-
mini, qui eadem quæ mens vident, quoties nō
vident alia. Quid præterea? animus mihi erat
sedicionem Armenianorum nuper in Hollā-
dia proditam vobiscum communicare: sed ne
hæc epistola modum excederet, impetravi heri
nonnihil hac de re ad vos litterarum à nostro
Holstenio, qui suarum suavitate & elegantiâ
effecit, quò minus mearum desideretis barba-
riem. Hoc tamen obiter addo, Armenianos
occidēdi suum Magistratum consilium inivis-
se, & parum obstitisse quin princeps Mauritius
paucorum Armenianorum scelere, Belgicæ

feli-

felicitati ereptus fuisset. At at hinc illa triumphalia Gomoristarum gaudia, tanti sceleris authores detecti, multi illorum capti, & jam ad internecionem principi perse-quendi sunt, non vt justi hostes, sed vt percussores venefici: vt quod ex morte magistratus petierant, consequantur ex sua. Ex illo parricidarum numero, fuêre nonnulli Armenianorum concionatores, & filij Barnefeldij qui fugâ putantur se subtraxisse illis tormentis & supplicijs, quibus socij illorum capti jure meritoque mactabuntur. Valete & Catilinæ conjurationem à Sallustio paucis absolutam ruminate; ex qua cognoscetis nihil novi accidisse in Hollandia. Londini 16. Cal. Martij. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXII.

CAROLO BANNER, *Nobilium Suecorum Generosissimo.* S.

TAbellarius ille tuus celeripes, qui ventis remisq; ad nos omni festinatione properavit, festino simillimus literas à me exegit extemporales & momentarias: quæ si parvi monomenti fuerint, cogita non nisi momẽtũ temporis scribendi officio datũ esse ab homine

homine momentaneo. Epiſtolam tuam m
cartori Stoenio deſtinatam cui tradideris
ſcio; hoc ſcio illam nec in meas, nec in illi
manus preveniſſe: quò æquior ſis illi, quo
ignotis non reſpondeat. Heri à prandio bis il
lum in ſuis ædibus fruſtrà quæſivi, ſemel in
alienis, ad quas à domeſticis ejuſdem mitte-
bar. Quàm primùm hominem offendero,
blandâ precum vi illum permovebo, ut aureâ
ſpe te Londinum revocet, quem mille floreni
hîc exſpectant. Nobiliſſimi noſtri Barones
Hornij cum cognato Guldenſternio, & Mel-
chiore Verenſtedio Iſfordium migrarunt, vbi
ſtudioſè ruſticantur cum parvulo illo para-
ſito Petrejo, qui familiã non ducit, ſed ſequi-
tur. Leuhuſium ſalvere jubeo, cui aulicarum
artium peritiſſimo multum debeo, ſi ejus ſo-
lertiâ & ſagacitate didicero, cur Tiberius ijs
annis quibus Rhodi ſpecie ſeceſſus exulem
egit, nihil aliud quàm iram, ſimulationem &
ſecretas libidines meditatus fuerit? cur regi-
bus aliena virtus formidoloſa, & boni quàm
mali ſuſpectiores ſint? cur moriones nebulo-
nes principibus grati? cur pro malignis habe-
antur, qui parcè adulantur? cur blanditiæ
etiam rejectæ placeant, & ſæpe excluſæ no-
viſſimè recipiantur? cur fortuna res cun-

ctas

ctas ex libidine magis, quàm ex vero celebret, obscuretq; ? De his & alijs arcanis politicis cum artifice ad captandos homines sagacissimo cautè agendum est. Tu qui cæteris cavere didicisti, cave ne incidas in muscipulam, & cautor ipse capiaris. Vale, & brevi ad nos redi, ut aureus imber in gremium tuum descendat. Londini 10 Cal. Martij. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXIII. Lugd. Bat.

M. JOANNI MATTHÆO *Ostrogotho*, S.

Cogitanti mihi quas ad te denuò darem literas, redditæ sunt tuæ, tantò gratiores, quanto opportuniores. Amo te ob illas, & à te amari hoc quoq; amo. Furicius ille vester, parasitaster venustulus, comptulus, & ad speculum totus compositus, non solùm academicorum Oxoniensium partum oculis suis usurpavit, sed novorum etiam Magistrorũ convivio interfuit; vbi inter mensales, dapinales, amphorales censuras, stentoriâ voce clamavit, Io triumphe, Io Pæan: vivit Evangelium, regnant Evangelici. ô crassam atq; pinguem stulticiam! ô musteum mortalem, tot inoculatum defluis Anglicanæ, Dantiscanæ, Rostochianæ cervisiæ strumis; vt neq; cælum

tot

tot variegaverit DEUS stellis, quàm ille thoracis vnius anticam partem scissilis cervisiæ stirijs, tanquam elenchis. ô bellum orbis lustratorem; peregrinationibus in Saxonia clarum! qui olim Wittenbergæ vidit vomentium famem, & ebriorum sitim, cum quibus ipse edit vt vomeret, vomuit vt ederet. Nunc verò ex Britannia in Hollandiam redux mendacifigulus, à vino, à cervisia madidus, ausus est frustis esculentis Majestatem perpluere depositoris, & me appellare Antichristi cultorem. Quis est ille Antichristus, qué ego veneror? Successor, inquit, Piscatoris, Cathedræ Petri defensor, Pontifex Romanus. Non hîc Risum gaudiali ritu propitiamus? date Furicio vini cadum in ætate pretiosi, & cum Sacramentarijs Lutherum vocabit *Antichristum, cervisiarium Papam, Papam stramineum, Carnificem & mactatorem Christi, lunaticum, & crassum rusticum, infelicem somniatorem.* Sed quomodo probat naturæ jocantis soboles, mali corvi malum ovum, Pontificem Romanum esse Antichristum? quia, inquit, Reges & principes admittit ad osculum crucis, quam in crepida gestat. ô caput cerebro vacuum! quid si proceres Regni Sueciæ ad oscula pedum Patritium illum Stocholmensem cogāt, Antichristi erunt? Hāc

 subtilita-

ſubtilitatem, & inſanam pietatem generoſo Lutheri ſtomacho debemus, cui vinum, aut neſcio quæ Bacchis totum demunxit cerebrũ. Næ ego mentiar, ſi non illi Hæreſiarchæ cereviſia exſuxit quicquid erat humani pectoris. In quam verò ſpem Furicium educarit pater, in quam mater neſcio: in amphora lem, in cellariam, vini illa, an ceruiſiaria ſit neſcio: hoc ſcio, educatum illum in cauponariam, è qua incertis alternationibus pedes anguſtas domino fabricent plateas. A boue majore diſcit arare minor: qui niſi damnosè bibat, inultus morietur. Imperatores, Reges, Principes Catholici hunc honorem deferunt Cruci Chriſti, vt illam in humillimo loco adorent ſponte, non coacti: aut dicant nobis adverſarij, quibus armis *Pontifices* Romani, Cæſarum Romanorum ſubſtraverint cervices? quâ lege latâ hoc debitum ſibi vindicarint? quibus coercitionibus oſcula depreſſerint Regum ad Crucem Chriſti in crepidis ſignatam? Crux illa, ſignum eſt humilitatis, quam ſummi Pontifices nec Imperatoribus invident, nec adorationem Cruci; quæ finita eſt cum pæna, manet cum gloria. Qui tantũ honorem dedit ſigno Crucis ſuæ, quid non ſervat fidelibus ſuis? Damnant Hæretici de-

demiſſa Catholicorū capita, adorationi Crucis Chriſti inſervientia; à quo cultu illi ſuperbè abhorrent, qui fidem Catholicam, pudefacti crucis humilitate abijecerunt; crucis adoratoribus tanquam Antichriſti cultoribus maledicentes. Nimiâ phreneſi laborant, qui pro ludibrio habent medicamentum ſuū. Quod ab illis deridetur, à nobis adoratur. Ubi hæretici erubeſcunt, ibi Catholici theſaurum reperiunt. Unde humilibus illudunt ſuperbi, inde gloriantur humiles, crucis adoratores. Merebuntur cum regnante crucifixo in cælo gloriari, qui conſueverunt crucem Chriſti in terra exoſculari. Verùm enim verò, qui crucem Chriſti non patiuntur in frontibus Imperatorum, quomodo illam ferent in crepidis Pontificum Romanorum? Tantum abeſt vt me pudeat crucis Chriſti, vt illam libenter demiſſo animo ſim exoſculaturus, in crepida Pontificali, vbi occaſio ad eam rem fuerit. Hic exclamabunt, crucis hoſtes, Crucifige, Crucifige. Ita ita cruci figam oſcula, vt crucifigar à popularibus meis Lutheranis, quorum ego ineptam arrogantiam, & immanem ſævitiam, aut Democrito ridendam, aut Heraclito ridendam trado. Quid cum illis agam, qui Chriſtianorū nomi-

nomine gloriantur; & crucem Christi osculo indignam vociferantur; quo honore manus meretricum sæpè dignantur? Quid agam cum Luthero, crucis osore, irrisore, humatore? *Si mihi*, inquit, *particula de S. Crucis ligno donaretur, eaq; in mea manu esset, statim eo loco reponerem, ubi à Solis conspectu longè remota esset*. Et paulo post: *Caterùm quod de sancta cruce dixi, idipsum de Reliquijs dictum esse volo. Nihil enim aliud sunt reliquiæ, quam seductio fideliũ. Quare continuò terrâ operiantur. Scripsit hac de re quoq; Vigilantius, cui se duriter Hieronymus opposuit, quod optarim non esse factum. Et si Vigilantij liber extaret, vt Hieronymi extat, magis opinor Christianè Vigilantiús, quã Hieronymus de hac re scripserit*. Hoc modò Lutherus legirupa impudenti ore, animo inverecundo debacchatus est coram populo decepto in festo Exaltationis S. Crucis. Iste fuit thesaurus stulto in lingua situs, vt quæstui haberet malè loqui de melioribus. Sed quid cum illo agam, qui impurissimum & spurcissimum hæreticum castissimo atq; Sanctissimo Ecclesiæ Catholicæ Doctori prætulit? Væ illi, qui rectum pravum fecit, qui bonum malum dixit. Vigilantius ab omnibus Ecclesiæ patribus, qui ejus nomen vel fando acceperunt, pro Dormitantio, & nefando hæretico habetur, cujus veterem hæresin Luthe-

Lutherani & Calviniſtæ novo paxillo ſuſpendũt. Dormitantio impuriſſimo lenoni applaudunt craſſi, nitidi, dealbati: adde ſi vis juxta Socraticam irriſionem, omnes ſues & canes; & quia carnem amavit, vultures quoq;, aquilæ accipitres, bubones. Hieronimo verò aſſurgunt immortalitatis candidati, triſtes, pallidi, ſacco & Cilicio veſtiti, in hoc ſeculo peregrini: qui dum linguâ ſilent, habitu loquuntur, & geſtu. Lutherus ſepelire nobis voluit crucem Chriſti: ſed vtinam feciſſet ſuam ſtulticiam vel ſepelibilem, vel ipſe in latebras abſcondiſſet pectore penitiſſimo. Magorum eſt mos, teſte Plinio, non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint ante laniata. Lutherani crucem Chriſti ore blaſphemo deriſam aut ſepeliunt, aut inſepultam abijciunt: Sed Catholici illã oſculis tegunt, & honorant. Quid dicam de Luthero, qui ſe inhoneſtè optavit parare extra monaſterium divitias potiùs, quàm in monaſterio honeſtè pauper vivere? qui luxuriâ ventris & gutturis ſubvertere nitebatur fortitudinem crucis? qui ad honores eccleſiaſticos non promovit, niſi fugitivos Monachos pudibilium enormitate membrorum ſibi cõmendatos? Ego non juſtè & ſeverè invehar in furibundum illum debacchatorem, qui innocentiam

innocentiã Sanctorum cõvitijs proſcindere, & honori illorum detrahere auſus eſt? Os hominis, inſignemq; impudentiã cognoſce, nota, fuge. *Omnis eorum ſanctitas, inquit, in eo conſiſtit, quod multum orarunt, & jejunarunt, magnos labores ſubierunt, corpus caſtigarunt, duriter cubarunt, & aſperiori veſtitu uſi ſunt. Quam omnem propemodum ſanctitatem, etiam canis, & porcus quotidie exercere poteſt.* Tom. 5. Jen. Germ. fol. 324. Ipſæ Thaides omnis pudoris interemptrices aliquando erubeſcunt: Lutherus nunquam. Facies meretricis facta eſt ipſi, neſcit erubeſcere. Qui ejusmodi immundiſſimis impuri nebulonis ſcriptis nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere, qui in culina habitant. Tamen vera omnia videri vult, quæ à tam malò colato capite ſparſit in aures mortalium! at ego neſcio ad cucurbitas illi ſermo fuerit, an ad centauros, equos hominibus ſuis implexos. Diabolus malevolorum obtrectationibus hoc lucratur, vt viventes ſecundum carnem non credant eſſe vllos vitam ducentes ſecundum ſpiritum, Hinc fit vt corporis mancipia ſe tradant in omnia gulæ libidiniſq; vitia præcipitandos, dicentes in cordibus ſuis, ubi eſt mãdatorum divinorum cuſtos? Ubi eſt qui ſervat caſtitatem? Dum putat neminem eſſe ex

actæ

actæ castiratis & puritatis observatorem, trãsit in castra sordidorum, obscænarum voluptatum explorator. Sed parum fuit Luthero, ludibrio hæreticorum exposuisse jejunia, preces, vigilias, labores, saccos & Cilicia Sanctorum; arma, quibus pugnarunt contra tentationes carnis, mundi, diaboli: nisi etiam crimen læsæ Majestatis committeret, & ipsum Evangelium adulteraret religiosus adulter. *Via est angusta, quæ ducit ad vitam æternam; & pauci sunt, qui illam ingrediuntur.* Ex hoc loco infert Lutherus, *eos qui bonis operibus onusti incedunt, non posse hâc via uti, quia angusta est. Proinde qui huic viæ angustæ ad cælum ducenti se committere cogitat, deponat bonorũ operum sarcinam, & gracilis fiat, alioquin ab hâc viâ excludetur.* Post Germ. part. 2. fol. 154. Posset ne diabolus ipse, magis diabolice verba filij Dei interpretari, quã hic diabolicus Doctor; bonorum operum juratus hostis? vt intelligamus illum & legere potuisse quæ scripta sunt, & non potuisse, quæ pietate roborata sunt, cognoscere. Qui tamen in libro de servo arbitrio contra Erasmum, veram & genuinam sacrarum literarum cognitionem, atq; interpretationem sibi soli arrogantissimè vindicat. *Deponite, inquit, quicquid armaturæ suppeditant Orthodoxi veteres, Theologorum Scholæ, authoritas conciliorum*

ciliorum & Pontificum, consensus tot seculorũ, ac totius populi Christiani: nihil recipimus nisi scripturas: sed sic vt penes nos solos sit certa authoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc sensit Spiritus sanctus, q̃ adferunt alij, quamvis magni, quãvis multi, à spiritu sathana, & aliena mente profectũ est. Itaq; date viã, noti atq; ignoti secedite, soli Luthero datum est, verbum Dei scriptum intelligere, & exponere. ô bellum divinorum eloquiorum interpretem! cujus judicio, *Quisquis dicit, quod Evangelium opera requirat ad salutem, mendax est.* ô sapientissimum scripturarum lectorem, atq; explanatorem! qui ignorat illos solos intraturos in regnum cælorum, qui fecerunt volũtatem patris cælestis; qui talenta ab ipso accepta bene agendo multiplicarunt; qui opera charitatis & misericordiæ fideliter exercuerunt. Et qui bona egerunt ex sepulchris resurgent ad vitam æternam: qui verò mala, ad æternam sui condemnationem resuscitabuntur. ô disertissimum veneris nepotem! qui i[illegible] e ad cap. 13. Proverb. Salomoni [illegible] Rhytmicum amatorium; tan[illegible]ema quoddam accinit, quod [illegible]um latinè verti potest: *Nihil est [illegible], nihil dulcius, nihil jucundius amore [illegible] quis eo potiri possit.* O jucundulum ama-

amasium; cui omnes lenæ cano capite assurgant! Hic est ille sanctissimus Ecclesiæ Catholicæ Reformator; & castissimus Lutheranismi Fundator: qui solas scripturas sacras amatoriè intelligit, amabiliter exponit. Hic est ille Lutheranorum ductor; vir antiqua scilicet virtute, & fide: qui pro suâ legibus solutâ authoritate Majestatem Anglicam, & Regiam dignitatem proluvie ventris conspurcat. Hic est ille Heros uno Jove minor, qui pro sua peremptoriâ censura pronunciat Thomistas, Scotistas, Papistas sacrilegos esse Asinorum cultores. Ego postquã Lutheri arcana Theologica plebeis ignota; primoribus labijs degustassem, de libello repudij cogitare cæpi, & paulatim multam dico salutem Regi; & Gregi. Tu ipse cognitis his; & sexcentis alijs mysterijs soli Luthero revelatis, non miraberis amplius malle me sequi verum; & legitimum scripturarum sensum, à Concilijs Oecumenicis promulgatum; ab universali Ecclesia creditum; tot seculorum consensu confirmatum; quàm illum adulterinum, à religioso adultero audaciæ columine consutum. Vale & Lutheraster esse desine: ego DEO favente obfirmãbo viam, quam decrevi persequi, meo exemplo te ad complexum Ecclesiæ Catholicæ; &

 ad

ad oscula Catholicorum vocaturus quantum possum. Londini 8. Id. Martij M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXIV.

CAROLO BANNER, *Magno Suecorum Heroi.* S.

SIte ob diligentiā in missiculandis ad me literis amare cæpissem; desijssem tibi nunc esse amicus, cum tu desijsti esse diligens. Verùm si nunc desissem, ne tum quidem cum fuisti in illo officij genere tam frequens ac liberalis, fuissem tibi amicus, sed assentator, cujus personam nemo sustinet, nisi qui libertatem vendidit. Adulator enim esse qui potest, is esse liber non potest. Miror equidem quod jam pridē epistolæ tuæ cessant: Materia scribendi tibi deest? At in illo defectu scribe deesse tibi quod scribas. Rebus novis destitueris? mitte nobis verba tuo Ciceroni ad suos familiares valde familiaria: si vales, bene est, ego valeo. Novitate gaudes? expiscare quid apud nos novi. Nescio an sis ita occupatus, ut nihil prorsus otij à serijs negotijs impetrare possis, quod solito amoris officio impertias: hoc scio, occasionem mittendi huc quæ volueris, esse ad minimum hebdomaticam:

quam

quam ego te teste non neglexi, si modò omnes meæ ablegatæ aspectum tuū subjere. Bernhardum tuum bis vel ter subornasti, qui me suis lacesseret, & in officio contineret te silente, quæ neque ingratæ fuerunt, neq; gratis venerunt. Literæ nobis interea ex patria allatæ, tristem nobis ejus statum nuntiant: quippe pestifero igne inflammata, incendio consumitur. ô beatos qui parati sunt in vera fide, spe & charitate spiritum reddere summo Imperatori, cujus jussu aut manendum in statione, aut ex ea decedendū est. Faciamus nos quod nostrarum est partium: extinguamus iram Dei lacrymis nostris, ut ille faces jam accensas ad patriæ incendiū extinguat, & incensione urbes, internecione cives, vastitate Sueciam, interitu Rempublicam liberet. Vale, Londini 4. Idus Martij, M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXV. Ilfordium.

ERICO GULDENSTERN, *Illustri Sueco. S.*

Quo jure, quo exemplo, quo ore, post inchoatū inter nos benevolentissimi affectus certamē, cursum sistis, & tergū vertis? Noli tergiversari: sed cape versoriā, & pensum tuū quod datū est confice. Neq; mireris,

te

te, nomine negligentiæ mihi suspectum, vocis meæ libertate perstringi, epistolâ morderi, salibus pungi: quos si in hoc ludo non fers, næ tu multum salis ex amicitia nostrâ aufers. Ego pro meo simplici & amico erga te animo, neque quæ rectè facis culpo, neque quæ delinquis amo, & hanc rem laudi mihi potiùs, quàm vituperationi fore spero, qui magis amo reprehensorem emendantem, quàm assentatorem dissimulantem. Obsequium iniquis, amicos, veritas odium parit. Sed non nisi inter veritatis osores, qui nesciunt, meliora esse vulnera ab amico inflicta, quàm fraudulenta adulatoris oscula. Ita Ecclesiasticus repertus est. Politicum qui superet veriverbio. Mittamus Parasitis suam adulatoriam astutiam, quibus omnia assentari, quæstus est multò uberrimus. Nihil mihi cum illis perditissimis hominibus qui gloriosos milites, omnium rerum primos scilicet consectantur, & illorum ingenia admirantes prorsus ex stultis insanos faciunt. Malo ego teneras mordaci rodere vero auriculas, quàm pulvinaria sub capite consuere, & inter patinas tibi exhibere argutias. Sed salsamenta mea macero probè, qui te tantumodò molli brachio de intermissione epistolarum objurgo, cui amicâ correctione

ctione pudorem incutio, indignationem non moveo. Tu nisi pergas, ut occæpisti, operam dare amicabilem, ego pergam manu te reprehendere, donec vertam non in hostem, sed amicum. Vale & communibus amicis salutem à me nuntia communem. Londini 5. Cal. Maj. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXVI. Ilfordium.

HENRICO PONSET, *Nobili Anglo S.*

Cum à meo nuper complexu discederes, videbaris solito tristior, ob canem credo amissum, cujus alacritatē in venando toties expertus es, venator teneræ conjugis memor. Ex privatione æstimantur habitus: quippe tum demum nostros desideramus canes, cum quos in potestate habuimus, eos amisimus. Sed non potuit magnum tristitiæ pelagus ex immaturâ, & insperatâ canis amissione ad te devolvi, quin ego simul in societatem venirem mæroris, venatori proximus. Itaque cum triduum jam in luctu, & squalore hæsissem ob vulnus ex damno tuo acceptum, rediit ad nos canis tuus venaticus, damas odorari & pervestigare doctus, saltusque venatibus aptos tibi monstrare solitus. Qui cum

 sur-

sursum deorsum cursitando nostras ædes perlustrasset, & te ubique locorum frustrà quæsisset, tandem ad me venit macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris. Quid istud inquam ornati est? quoniam miser, respondit, dominum mei amantissimũ perdidi. Hem quò redactus sum? omnes, inquit, noti me atq; amici deserunt. Hic ego illum liberali manu permulcere, & ad prandium invitare: in quo expectatione suâ meliùs prorsus atque prolixiùs acceptus, parasitulum agere cæpit, à Gnatone credo Terentiano in peregrinatione sua eruditus. Quid fit? Insinuavit se magis magisque nostris domesticis, quibus caudâ, & nescio quo flexu corporis mirum in modũ abblandiebatur, consuetudine jam factus audacior parasitaster parvolus. Sed cum nimis familiaris esset in nostra culina, & cibum jam aliquoties è flamma petijsset, incurrit in gravissima Heroinæ nostræ culinariæ indignationem, quæ gladiatorio certè animo viam ad ipsum affectabat; & nisi ego meam authoritaté interposuissem, familiaris acceptus fuisset haud familiariter. Tam horribile monstrũ est ira, præsertim ubi accenditur in imbecilliori sexu, cujus nec indignatio, nec lætitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapiuntur fæmi-

fæminæ: vituperant, laudant, miserentur, irascuntur, & quicquid irarum in culina conceptum est, in canum & feliũ effunditur capita. Ibi iterum me in omnes formas vertere necessum habui, priusquam crudelem ancillã propitiare, & canis cui venatici culpam deprecari potui. Ego, inquit, illum raptorem in malam Crucem non rapiam, qui suis invidiosis rapinis excruciabilis, exdornuari, atque exossari mereretur? Da veniam, inquam, Heroina, sine te exorem. Sit, inquit, ita, quia ita vis: sed ea lege illi malefacta condono, ut si sæpiùs cibum è sartagine surripuerit, rapicidam illũ capitis perdam, & pessumis exemplis interficiam. Cum iterum monerem non esse tantoperè sæviendũ in animal mutum, rationis expers, & libero arbitrio destitutũ. Mitte, inquit, pro hoc malefico cane verba facere: satis jam, satis spectata est mea erga illum clementia: at ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum bene me amassint, meaq; axicia linteumq; extersum, ut ego tuis magnificis verbis, neq; tuis philosophicis excusationibus non impediar, quin exemplũ omnibus canibus curẽ ut sit, si irâ nos incenderit sæpius. Tandẽ cum animadverterem illam sævam, tristem, & truculentã culinæ magistram à sen-

innocentiā Sanctorum cōvitijs proscindere,
& honori illorum detrahere ausus est? Os ho-
minis, insignemq; impudentiā cognosce, no-
ta, fuge. *Omnis eorum sanctitas, inquit, in eo con-
sistit, quod multum orarunt, & jejunarunt, magnos la-
bores subierunt, corpus castigarunt, duriter cubarunt,
& asperiori vestitu usi sunt. Quam omnem propemo-
dum sanctitatem, etiam canis, & porcus quotidie exer-
cere potest.* Tom. 5. Jen. Germ. fol. 324. Ipsæ Thai-
des omnis pudoris interemptrices aliquando
erubescunt: Lutherus nunquam. Facies me-
retricis facta est ipsi, nescit erubescere. Qui
ejusmodi immundissimis impuri nebulonis
scriptis nutriuntur, non magis sapere possunt,
quàm bene olere, qui in culina habitant. Ta-
men vera omnia videri vult, quæ à tam malo
colato capite sparsit in aures mortalium! at
ego nescio ad cucurbitas illi sermo fuerit, an
ad centauros, equos hominibus suis implexos:
Diabolus malevolorum obtrectationibus hoc
lucratur, vt viventes secundum carnem non
credant esse vllos vitam ducentes secundum
spiritum, Hinc fit vt corporis mancipia se tra-
dant in omnia gulæ libidinisq; vitia præcipi-
tandos, dicentes in cordibus suis, ubi est mā-
datorum divinorum custos? Ubi est qui ser-
vat castitatem? Dum putat neminem esse ex
actæ

ad castitatis & puritatis observatorem, trãsit in castra sordidorum, obscænarum voluptatum explorator. Sed parum fuit Luthero, ludibrio hæreticorum exposuisse jejunia, preces, vigilias, labores, saccos & Cilicia Sanctorum; arma, quibus pugnarunt contra tentationes carnis, mundi, diaboli: nisi etiam crimen læsæ Majestatis committeret, & ipsum Evangelium adulteraret religiosus adulter. *Via est angusta, quæ ducit ad vitam æternam; & pauci sunt, qui illam ingrediuntur.* Ex hoc loco infert Lutherus, *eos qui bonis operibus onusti incedunt, non posse hâc via uti, quia angusta est. Proinde qui huic via angusta ad cœlum ducenti se committere cogitat, deponat bonorũ operum sarcinam, & gracilis fiat, alioquin ab hâc viâ excludetur.* Post Germ. part. 2. fol. 154. Posset ne diabolus ipse, magis diabolice verba filij Dei interpretari, quã hic diabolicus Doctor; bonorum operum juratus hostis? vt intelligamus illum & legere potuisse quæ scripta sunt, & non potuisse, quæ pietate roborata sunt, cognoscere. Qui tamen in libro de servo arbitrio contra Erasmum, veram & genuinam sacrarum literarum cognitionem, atq; interpretationem sibi soli arrogantissimè vindicat. *Deponite, inquit, quicquid armatura suppeditant Orthodoxi veteres, Theologorum Schola, authoritas conciliorum*

ciliorum & Pontificum, consensus tot seculorũ, ac totius populi Christiani: nihil recipimus nisi scripturas: sed sic ut penes nos solos sit certa authoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc sensit Spiritus sanctus, quod adferunt alij, quamvis magni, quãvis multi, à spiritu sathanæ, & aliena mente profectũ est. Itaq; date viã, noti atq; ignoti secedite, soli Luthero datum est, verbum Dei scriptum intelligere, & exponere. ô bellum divinorum eloquiorum interpretem! cujus judicio, *Quisquis dicit, quod Evangelium opera requirat ad salutem, mendax est.* ô sapientissimum scripturarum lectorem, atq; explanatorem! qui ignorat illos solos intraturos in regnum cælorum, qui fecerunt volũtatem patris cælestis; qui talenta ab ipso accepta bene agendo multiplicarunt; qui opera charitatis & misericordiæ fideliter exercuerunt. Et qui bona egerũt ex sepulchris resurgent ad vitam æternam: qui verò mala, ad æternam sui condemnationem resuscitabuntur. ô disertissimum veneris nepotem! qui in margine ad cap. 13. Proverb. Salomonis dicterium Rhytmicum amatorium; tanquam Epiphonema quoddam accinit, quod hunc in modum latinè verti potest: *Nihil est suavius in terra, nihil dulcius, nihil jucundius amore mulierum, si quis eo potiri possit.* O jucundulum ama-

amasium; cui omnes lenæ cano capite assurgant! Hic est ille sanctissimus Ecclesiæ Catholicæ Reformator; & castissimus Lutheranismi Fundator: qui solas scripturas sacras amatoriè intelligit, amabiliter exponit. Hic est ille Lutheranorum ductor, vir antiqua scilicet virtute, & fide: qui pro suâ legibus solutâ authoritate Majestatem Anglicam, & Regiam dignitatem proluvie ventris conspurcat. Hic est ille Heros uno Jove minor, qui pro sua peremptoria censura pronunciat Thomistas, Scotistas, Papistas sacrilegos esse Asinorum cultores. Ego postquã Lutheri arcana Theologica plebeis ignota, primoribus labijs degustassem, de libello repudij cogitare cæpi, & paulatim multam dico salutem Regi, & Gregi. Tu ipse cognitis his, & sexcentis alijs mysterijs soli Luthero revelatis, non miraberis ampliùs malle me sequi verum, & legitimum scripturarum sensum, à Concilijs Oecumenicis promulgatum; ab universali Ecclesia creditum; tot seculorum consensu confirmatum; quàm illum adulterinum, à religioso adultero audaciæ columine consutum. Vale & Lutheraster esse desine: ego DEO favente obfirmabo viam, quam decrevi persequi, meo exemplo te ad complexum Ecclesiæ Catholicæ, & ad

ad oscula Catholicorum vocaturus quantum possum. Londini 8. Id. Martij M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXIV.

CAROLO BANNER, *Magno Succorum Heroi.* S.

SI te ob diligentiā in missiculandis ad me literis amare cæpissem; desijssem tibi nunc esse amicus, cum tu desijsti esse diligens. Verùm si nunc desissem, ne tum quidem cum fuisti in illo officij genere tam frequens ac liberalis, fuissem tibi amicus, sed assentator, cujus personam nemo sustinet, nisi qui libertatem vendidit. Adulator enim esse qui potest, is esse liber non potest. Miror equidem quod jam pridē epistolæ tuæ cessant: Materia scribendi tibi deest? At in illo defectu scribe deesse tibi quod scribas. Rebus novis destitueris? mitte nobis verba tuo Ciceroni ad suos familiares valde familiaria: si vales, bene est, ego valeo. Novitate gaudes? expiscare quid apud nos novi. Nescio an sis ita occupatus, ut nihil prorsus otij à serijs negotijs impetrare possis, quod solito amoris officio impertias: hoc scio, occasionem mittendi huc quæ volueris, esse ad minimum hebdomaticam: quam

quam ego te teſte non neglexi, ſi modò omnes meæ ablegatæ aſpectum tuũ ſubjere. Bernhardum tuum bis vel ter ſubornaſti, qui me ſuis laceſſeret, & in officio contineret te ſilente, quæ neque ingratæ fuerunt, neq; gratis venerunt. Literæ nobis interea ex patria allatæ, triſtem nobis ejus ſtatum nuntiant: quippe peſtifero igne inflammata, incendio conſumitur. ô beatos qui parati ſunt in vera fide, ſpe & charitate ſpiritum reddere ſummo Imperatori, cujus juſſu aut manendum in ſtatione, aut ex ea decedendũ eſt. Faciamus nos quod noſtrarum eſt partium: extinguamus iram Dei lacrymis noſtris, ut ille faces jam accenſas ad patriæ incendiũ extinguat, & incenſione urbes, internecione cives, vaſtitate Sueciam, interitu Rempublicam liberet. Vale, Londini 4. Idus Martij, M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXV. Ilfordium.

ERICO GULDENSTERN, *Illuſtri Sueco. S.*

Quo jure, quo exemplo, quo ore, poſt inchoatũ inter nos benevolentiſſimi affectus certamẽ, curſum ſiſtis, & tergũ vertis? Noli tergiverſari: ſed cape verſoriã, & penſum tuũ quod datũ eſt confice. Neq; mireris,

te, nomine negligentiæ mihi ſuſpectum, vocis meæ libertate perſtringi, epiſtolâ morderi, ſalibus pungi: quos ſi in hoc ludo non fers, næ tu multum ſalis ex amicitia noſtra aufers. Ego pro meo ſimplici & amico erga te animo, neque quæ rectè facis culpo, neque quæ delinquis amo, & hanc rem laudi mihi potiùs; quàm vituperationi fore ſpero, qui magis amo reprehenſorem emendantem, quàm aſſentatorem diſſimulantem. Obſequium inquis, amicos, veritas odium parit. Sed non niſi inter veritatis oſores, qui neſciunt, meliora eſſe vulnera ab amico inflicta, quàm fraudulenta adulatoris oſcula. Ita Eccleſiaſticus repertus eſt, Politicum qui ſuperet veriverbio. Mittamus Paraſitis ſuam adulatoriam aſtutiam, quibus omnia aſſentari, quæſtus eſt multò uberrimus. Nihil mihi cum illis perditiſſimis hominibus qui glorioſos milites, omnium rerum primos ſcilicet conſectantur, & illorum ingenia admirantes prorſus ex ſtultis inſanos faciunt. Malo ego teneras mordaci rodere vero auriculas, quàm pulvinaria ſub capite conſuere, & inter patinas tibi exhibere argutias. Sed ſalſamenta mea macero probè, qui te tantumodò molli brachio de intermiſſione epiſtolarum objurgo, cui amicâ correctione

ctione pudorem incutio, indignationem non moveo. Tu niſi pergas, ut occæpiſti, operam dare amicabilem, ego pergam manu te reprehendere, donec vertam non in hoſtem, ſed amicum. Vale & communibus amicis ſalutem à me nuntia communem. Londini 5. Cal. Maj. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXVI. Ilfordium.

HENRICO PONSET, *Nobili Anglo S.*

CUm à meo nuper complexu diſcederes, videbaris ſolito triſtior, ob canem credo amiſſum, cujus alacritatē in venando toties expertus es, venator teneræ conjugis memor. Ex privatione æſtimantur habitus: quippe tum demum noſtros deſideramus canes, cum quos in poteſtate habuimus, eos amiſimus. Sed non potuit magnum triſticiæ pelagus ex immaturâ, & inſperatâ canis amiſſione ad te devolvi, quin ego ſimul in ſocietatem venirem mæroris, venatori proximus. Itaque cum triduum jam in luctu, & ſqualore hæſiſſem ob vulnus ex damno tuo acceptum, redijt ad nos canis tuus venaticus, damas odorari & perveſtigare doctus, ſaltuſque venatibus aptos tibi monſtrare ſolitus. Qui cum ſur-

sursum deorsum cursitando nostras ædes perlustrasset, & te ubique locorum frustrà quæsisset, tandem ad me venit macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris. Quid istud inquam ornati est? quoniam miser, respondit, dominum mei amantissimũ perdidi. Hem quò redactus sum? omnes, inquit, noti me atq; amici deserunt. Hic ego illum liberali manu permulcere, & ad prandium invitare: in quo expectatione suâ meliùs prorsus atque prolixiùs acceptus, parasitulum agere cæpit, à Gnatone credo Terentiano in peregrinatione sua eruditus. Quid fit? Insinuavit se magis magisque nostris domesticis, quibus caudâ, & nescio quo flexu corporis mirum in modũ abblandiebatur, consuetudine jam factus audacior parasitaster parvolus. Sed cum nimis familiaris esset in nostra culina, & cibum jam aliquoties è flamma petijsset, incurrit in gravissima Heroinæ nostræ culinariæ indignationem, quæ gladiatorio certè animo viam ad ipsum affectabat; & nisi ego meam authoritatẽ interposuissem, familiaris acceptus fuisset haud familiariter. Tam horribile monstrũ est ira, præsertim ubi accenditur in imbecilliori sexu, cujus nec indignatio, nec lætitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapiuntur fæmi-

fæminæ: vituperant, laudant, miserentur, irascuntur, & quicquid irarum in culina conceptum est, in canum & feliũ effunditur capita. Ibi iterum me in omnes formas vertere necessum habui, priusquam crudelem ancillã propitiare, & canis sui venatici culpam deprecari potui. Ego, inquit, illum raptorem in malam Crucem non rapiam, qui suis invidiosis rapinis excruciabilis, exdornari, atque exossari meretur? Da veniam, inquam, Heroina, sine te exorem. Sit, inquit, ita, quia ita vis: sed ea lege illi malefacta condono, ut si sæpiùs cibum è sartagine surripuerit, rapicidam illũ capitis perdam, & pessumis exemplis interficiam. Cum iterum monerem non esse tantoperè sæviendũ in animal mutum, rationis expers, & libero arbitrio destitutũ. Mitte, inquit, pro hoc malefico cane verba facere: satis jam, satis spectata est mea erga illum clementia: at ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum bene me amassint, meaq; axicia linteumq; extersum, ut ego tuis magnificis verbis, neq; tuis philosophicis excusationibus non impediar, quin exemplũ omnibus canibus curẽ ut sit, si irâ nos incenderit sæpius. Tandẽ cum animadverterem illam sævam, tristem, & truculentã culinæ magistram à sen-

 ten-

 tentiâ ſemel lata dimoveri non poſſe, latrunculum tuum mecum abduxi in meum muſæũ, ut illo ſeceſſu effrænatam crudelis dominæ ferociam evaderet, quæ ſubinde gaudet manus ſuas exercere in feles & canes, catos & catulos, quibus minatur literam longam. Sed tuum ego periculo exemi, quem noſtra culinæ patrona abſolvit ab omnibus benefactis, talemque ad te remittit, qualem accepit. Vale & vide ne canem perditum perdas. Londini 3. Cal. Maj. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXVII.

REGNERO LEUHUSIO *Sueco, in fermento jacenti, & luto Calviniſtarum hærenti.* S.

ALaxo rixam quæri, antiqui experientiâ didicerunt, & hodierni rectè dictum obſervant. Sed non ſolum æſtu, & itinere feſſi, verùm etiam eſurientes ac ſitientes, & omnes quos aliqua res urit, lites captant. Unde illud Comici, *fames & mora bilem in naſum conciunt.* Tu quoque præ nimio in Catholicam fidem odio, labia mordes, veſtimenta ſcindis, menſam evertis, vitra frangis, capillos tibi evellis, femur pectuſque percutis, dentes inter ſe collidis molere cupientes, quibus talem

ſonum

ſonum edis, qualem apri tela ſua attritu acuentes. Articuli tui crepitant manibus inter ſe commiſſis, anhelitus tibi crebri, verba ſemeſa ſubitis exclamationibus, trementia labra, interdum compreſſa, & dirum quiddam exſibilantia. Video quid monſtri alas. Non is, ſed agitaris, nec alijs mandas ultionem, ſed ipſe ejus exactor, animo ſimul & manu ſævis in res domeſticas. Teneris itaque à vicinis, & contubernalibus, qui te amicè rogant, ut ipſe tibi parcas, tibi ipſi ſis propitius. Jubent te inſpicere in ſpeculum, & contemplari vultum tuum, nunc ſanguine in fugam verſo pallentem, nunc in os & faciem omni calore ac ſpiritu revocato rubicundum, oculis variè mobilibus, modò in omnem partem ſe flectentibus, modò in terram defixis, & in uno obtutu hærentibus: ſed non das aliorum conſilijs locum, qui teipſum non audis; contumax es, non ſequeris, quò duceris. Etiamſi in oculos tuos ſeſe inſinuet veritas, longâ tamen conſuetudine hæreſin tuam amas, quam pertinaciter defendis. Errores tui coargui non volunt, malè audire recuſant: honeſtior tibi pertinacia videtur, quàm pœnitentia. Periclitaris inter amorem pacis, & confuſionem pudoris: nec tamen vinci nolens te præſtas invictum.

ctum. Quas enim veritati Orthodoxæ fidei manus dare recusas, illas das hæresi: sed utinã sub charitatis regno vapulares, & non sub pertinaciæ tyrannide! inde victoriã reportares, unde victus es. Quid de te dicam, qui partem defendis, totũ oppugnas? Nonne expediret tibi vinci? quia si victus fueris, totũ habebis, si viceris, in & cum tua parte peribis: imò si videberis victoriâ potitus. Nam non vincit nisi veritas; cujus victoria est charitas. Calvinus, inquis, magnam habuit charitatem. Falsum est: quia divisit unitatem. Melius illi fuisset esse digitum, & manere in corpore, quàm esse oculum, & evelli de corpore. Calvini charitas est nimis calva. Capillos evulsit comatis, ne solus calvus esset; imitator vulpeculæ; quæ olim amissâ caudâ, ne sola turpis haberetur, persuadere cæteris vulpeculis, amputandas esse caudas tanquam onerosas & deformes. Charitatis, inquis, est opus, Ecclesiam mundare. Sed Calvinus illam non scopis ecclesiasticis, sed manu sacrilegâ purgavit. Hinc quidam Catholicus à Calvinista interrogatus, quid sibi vellent tot cerei per templa, claro jam lumine, & die provecto, accensi? lepidè & non insulsè respondit. *Nos ideo hoc facimus, ut calices, pelues, urceos, cæteraque instru-*

instrumenta, vasa aurea & argentea, quæ nobis sacrilegia vestra rapuerunt, quæritemus. Calvinus Sacramenta Ecclesiæ sarta tecta non servavit, sed maximam illorum partem abstulit sartor, satorque scelerum. Quod non fecit Lutherus, si Philippo Melanchthoni credimus. Is enim interrogatus, cur non haberent septem Sacramenta in Lutheranicis Ecclesijs: *imò haberi septē respondit, & duo insuper. Wittenbergæ enim esse quatuor; Lipsiæ tria, duo Magdeburgi, quæ in numerum collecta novem efficiunt.* Hæreticus hæretico quid præstat? Calvino Lutherus quid interest? Lutherani servate uxores vestras, mœchum calvum adducunt Calvinistæ: auro in Gallia qui stuprum emit, in Germania sumpsit mutuū, ipse suam uxorē videns catulientem. Sed heus tu Calvinaster, & Cavillator facete, qui Calvinistarum sacrilegium ludibrio excusas dum dicis, *æstate grave esse aureū amiculum, hyeme frigidum: qui per absurdum esse putas, à quibus quotidie bona flagitamus, ab his ultrò porrigentibus nolle accipere: qui non dubitas deorum bonitate utendum esse etiam cum sacrilegio!* dic mihi quid est fides? *Manus,* inquis, *meæ oculatæ sunt, credunt quod vident.* Ista est definitio fidei meretriciæ apud Plaut. in Asinar. & ad tuā sacrilegam pulchrè accomodata, quam non peto.

Illam

Illam quæſivi, & ſartam tectam volo fidem, quæ credit ea, quæ non videt. Aliud eſt videre, aliud credere. Aliud ſenſu, aliud fide percipere. Per ea quæ videmus, credimus quæ non videmus. Per ea quæ ſub ſenſum cadunt, credimus quæ nullo ſenſu comprehendi poſſunt. Exemplo Apoſtolorum res illuſtrabitur. Apoſtoli quid viderunt, quid crediderunt? Viderunt filium Dei in carne aſſumpta comedentem, bibentem, ambulantem: viderunt ſtupenda ejus opera, reſtitutum cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis rectum inceſſum: viderunt mutos loquentes, mortuos reſuſcitatos, & ſexcenta alia miracula, in hiſtoria ſacra memoriæ prodita. Quid præterea? Videbant Chriſtum Cruci affixū patientem, fellis amaritudinem guſtantem, & in Cruce morientem: videbant in ejus corpore à mortuis reſuſcitato veſtigia clavorum, & latus crudeli cuſpide perfoſſum: videbant in cælum aſcendentem. *Et ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die*, quod de ſponſo dictum eſt. Luc. 24. v. 47. Quid ergo non videbant? Corpus, id eſt, Eccleſiam. Illum oculis ſuis luſtrabant, illam non. Sponſum in oculis geſtabant, ſponſa adhuc abſcondita. Sed promiſit illam venturam, & tandem in publicum proditu-

ram.

ram. Quibus verbis? His. *Et prædicari in nomine ejus pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem*, nondum videbant. Caput videbant; & de corpore capiti credebant. Per hoc quod videbant, quod non videbant, credebant. Pari modo nobiscum quoque agitur. Videtur enim aliquid à nobis, quod ab illis non videbatur: & aliquid oculos nostros fugit, quod Apostolorũ oculis erat valde familiare. Quid nos videmus, quod illi non videbant? *Ecclesiam per omnes gentes.* Quid non videmus, quod ipsi videbant? *Christum in carne constitutum.* Quemadmodum Apostoli sponsam videbant, & sponsam venturam credebant: sic nos corpus videmus, caput credimus reversurum ad judicandum vivos & mortuos. Quare illi crediderunt futuram Ecclesiam per omnes gentes? quia viderunt Christum verbo & opere probantem se esse filium Dei. Quare nos credimus Christum resurexisse à mortuis, ascendisse in cælum, & sedere ad dextram Patris? quia videmus gentes in unitate fidei congregatas per diversitatem linguarum cunctarũ. Sed quæ nam est illa Ecclesia, quæ habet omnes Gentes, cum omnibus illarum linguis? ut breviter dicam, & satietatem longæ orationis

tionis effugiam; nulla est præter Romanam. Hæc habet Gentes Europæas, Asiaticas, Africanas, Americanas: uno verbo, omnes gentes, & omnium gentium linguas. Ex hac omnium gentium Ecclesia, tu me invitare audes ad tuam calvam & deformatam, delitescentem in latebris Calvini; qui furtum sui fecit, & ex illa infinita omnium gentium in unitate fidei collecta multitudine se subduxit Latebricola, Grassarorum supremus Ductor. Sed ad quos convivatores, ad quos convivas, ad quæ scitamenta me vocas? Ad Sacramentarios, inquis, Zwinglianos, & Tigurinos. Audi Censuram Lutheri: *Beatus vir, qui non abijt in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zwinglianiorum, nec sedit in Cathedra Tigurinorum*. Audi Zwinglium referentem quo loco sunt Calvinistæ apud Papã Wittenbergensem: *Nos Suermeros, dæmones, fanaticos, nequam, hæreticos, latrones, seditiosos, simulatores, hypocritas*, troß / boß / ploß / tonner / *po, pu, pa, plumb, &c. clamitat*. Audi Tigurinos Tract. 3. contra supremam Lutheri Confessionem pag. 61. *Nos* (Lutherus) *condemnatam ac execrabilem sectam vocat. Asserit enim diabolũ, & nunc & semper Zwinglianos inhabitare, & quod pectora habeant blasphema, insatanizata, supersatanizata, & persatanizata,*

zata, & præterea quod os habeant vanissimũ, in quod Sathan infusus, perfusus, transfusus dominatur. Hi sunt tui educatores, altores, convivatores: quæ escæ, quæ dapes, quæ deliciæ? Siliquæ, inquis, & quisquiliæ. Itanè absumpto in porculationem patrimonio, pulmenta porcina pro scitamentis habes, & me ad siliquas, & quisquilias invitas? phy, fætent; & tibi nauseã non movent? Non ita obbrutui pravâ consuetudine, ut glandem adhuc defendam repertis frugibus.

Invitas tunc me, cùm scis, Nasica vocatum,
Excusatum habeas me, rogo: cano domi.

In domo patris tui multi sunt mercenarij, qui panem quotidie comedunt, & tu siliquis vesceris? Dum tempus est, etiam atq; etiam cogita quid facto opus sit. Surge, & redi ad patrem tuum. Quâ spe, inquis, quâ fiducia, quâ confidentia? Illâ, quâ pater est. Fatere te peccasse, & conscientiam tuam mereri damnationem, & pænitentiã tuam non sufficere ad satisfactionem. Fatere te perdidisse, quod erat filij: illum verò, quod patris est, non amisisse. Fatere te commisisse unde damnari posses: illum non perdidisse unde salvare solet. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse, qui

qui intervenit, & exorat affectus. Dic seriò; dic syncerè, dic candidè: *Pater peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* Et eminus venientem pater te videbit; qui misericordiâ motus occurret redeunti, osculo & amplexu reditum tibi gratulaturus. Servi jussu Domini proferent prætiosissimam vestem, quâ te reducem induent: annulo manum tuam insignient, & novis calceis pedes tuos exornabunt. Deinde adducent vitulum saginatum, quo mactato, & in cibos parato incipiemus epulari. Ita majorem voluptatem nobis pariet unus filius hæreticus ad sanam mentem, & domum patris sui reversus; quàm nonaginta novem filij Catholici, qui semper in fide Catholica, & domo patris perseverarunt firmi, constantes, stabiles. Vale. Londini prid. Cal. Apr. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XXXVIII. *Lugd. Batav.*

M. JOANNI MATTHÆO *Ostrogotho.* S.

GRandem ante octiduum à te recepi epistolam, longam, latam, profundam: cui ego hîc responsurus scientiam atq; artem agricolarum imitabor, circumcidendo, amputando, erigendo, extollendo, admini-

miniculando. Tu pro tua fide, Lutheri hære-
sin defendis quantum potes; cui etiam Era-
smum addictum fuisse, deque illo præclarè
semper & sensisse, & scripsisse dicis. Rem ma-
gnam præstas credule, si verum dicis. Inspice
Erasmi Purgationem, adversus epistolam non
sobriam Martini Lutheri, & videbis quid pec-
cati portet tua purgatio. Non est excusatio
falsitatis, si Lutheranus Lutheri causâ falsum
testimonium dicat. Erasmus multis vltrò ci-
troque verbis in sua purgatione habitis, ex-
clamat. *Quid diceret Lutherus, si induxissem
diabolum cum homine disputantem, quemadmodum
ipse fecit, in sua missa angulari, cui tam valida tribuit
argumenta, vt fateatur à se non potuisse refelli?* &
paulò post: *Sentit opinor de eo diabolo, qui olim
tam validis machinis impetijt animũ ipsius de missa.
Porrò ut hic nihil crepat Martinus nisi diabolos, Sa-
thanas, larvas, lamias, Megaras, aliasq; voces plus-
quam tragicas. Fortassis ex abundantia cordis os lo-
quitur: certè hæc esse solent ventura insaniæ præsagia.
Transilio hic convitiorum viridarium, in quo suaviter
pascit animum illum nullâ maledicentiâ saturabilem.
Sed gaudeo extare lucubrationes meas, quæ ut confido
lectori fidem facient, me tantum abesse ab hoc affectu
quem mihi impingit Martinus, quam ipse abest à so-
bria mente.* I nunc, & audacter jura, perjura

Erasmum fuisse Lutheranum; qui non alio nomine magis gloriatur, quàm quod nulli Sectæ nec assensus sit, nec nomen dederit; quin omnibus lubens persuaserit, omnem Sectam cane, & angue pejus fugiendam esse, quam non agnoscit Ecclesia Catholica. *Obtestor vos*, (inquit, Respons. ad Epist. Apologeticam) *per salutem animarum vestrarum, ne qua res vos dimoveat, à Catholica Ecclesiæ consortio, ne circumferamini omni vento doctrinæ, neq; citò transferamini ab Evangelio, quod à Christi Sponsa traditum hactenus servastis. Nec facilè moveant animos vestros Epistolæ aut libelli, multum mansuetudinis, ac pietatis præ se ferentes, sed dijudicate spiritus an ex DEO sint. Solet enim Sathanas se transfigurare in Angelum lucis, quò magis imponat simplicibus & incautis. Consistite firmi in lapide Christo, continete vos in arca, ne pereatis diluvio: manete in Navicula Christi, ne vos fluctus absorbeant: permanete in ovili Christi, ne fiatis præda lupis, ac Sathanæ, qui nunquam non obambulat venans quem devoret. Ex una Secta indies complures nascuntur. Prius finite ut inter illos conveniat, quàm vosmet ipsos huic aut illi addicatis.* Ejusmodi verbis philosophatur Erasmus severè, graviter, sapienter: & tamen tuo judicio lutherissat. Vir bonus præstare debet,

bet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. Qui mentitur, ut sartam tectam servet suam authoritatem, is cubito nasum emungit, ut sudario parcat. Tuus ille, nolit velit, Lutheranus scilicet, in epistola ad Hieronymum Embseriũ, non potest satis mirari, quid Lutherus sibi proposuerit, simul & scurram agere, & Evangelistam: quem Atæ insuper alibi comparavit, quod Christianos tantis implicasset malis, mentibus illorum partim seductis, partim perturbatis. Erasmus, inquis, aut est Lutheranus, aut Evangelicus. Hoc tam verum est, quàm illud: id est æquè falsum, quippe si Evangelicorum hæresi affinis esset, non tam salsè morderet illos; quos *ait quatuor res potissimũ venari, ut ventri bene sit, ne quid desit ijs, quæ sub ventre sunt, tum ut sit unde vivant, postremò ut liceat quod lubet agere Hæc si suppetant, inter pocula clamant, Io triumphe, Io Pæan, vivit Evangeliũ, regnat Christus.* Istam quidem Epicuream vitam esse, non Evangelicam, ipsi Evangelici inficiari non possunt: sed hoc illos consolatur, quod sciant Christum omnipotentem esse, posseque repentè vertere illos in alios homines. Potest etiam in sues, ut respondet Erasmus, quod quidem proclivius esse arbitratur, quàm in bonos viros: *ex quibus*

multos dicit esse leonibus truculentiores, lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus mordaciores, viperis nocentiores. Si hæc sunt nimis salsa, Erasmi Cyclopem, sive Evangeliphorum tanquam salsamentarium culpa: & desine nobis persuadere hominem fuisse aut Lutheranum, aut Evangelicum, quos ille pejus rodit, quam mus alienum panem. Erasmus & Lutherus toto cælo discrepant. Ille credit extra Ecclesiæ domum non esse salutem, *& docet extra Ecclesiam esse quemque, qui non agnoscit Pontificem Romanum.* Colloq. de Ianio, & salsament. Hic Ecclesiam Romanam appellat *non veram, sed Papisticam; non Apostolicam, sed Apostaticam; imò non Ecclesiam, sed Synagogam Sathanæ, prostibulum diaboli, archimeretricem, scholam inferni.* Sed ista verborum portenta nobis gignit portentosus Lutheri stomachus, qui profectò phrenesi non caruit, quum hæc deliramenta inauspicatis illineret chartis. Cui non oboriatur vomitus ad ista tam rancida, putida, fætida? Ipsa insania non posset loqui insaniùs, odiosiùs, putidiùs. Erasmus præclarè tenuit, & quæ à Græcis Patribus, & quæ à nostris prodita sunt: ad quorum lectionem nunquam se vertit, quin reverteretur doctior. Lutherus quò magis illorum scripta legit,

legit, eò magis offendebatur. Ille omnem suã eruditionem publicis pædagogis acceptam retulit, honorificè semper de Patribus loquutus. Hic non detrectasse nominatim antiquos illos Doctores contentus, neminem sequentium laudare ausus est. Sed loquatur viperarum soboles, Patrum irrisor Lutherus, qui erosis matris suæ lateribus, cum interitu ejus erumpere, & sibi salutem familiari parere parricidio conatus est. *Originem*, inquit, *jampridẽ excommunicavi. In toto Origine non est unum verbũ de Christo. In Athanasio nihil singulare fuit. Tertullianus valde superstitiosus est: fuit inter Ecclesiæ Doctores verus Carolostadius. Chrysostomũ nullo loco habeo; nihil est nisi loquaculus. Nihil propè scribit, quod purum sit, nisi de baptismate puerorũ. Libri ejus nihil aliud sunt, quam magnus quidã, turbulentus, atq; inordinatus cumulus, aut mixtus acervus; saccus plenus verborum, ubi nihil est in recessu. Basilius planè nihil valet, totus est monachus; ego ne pili illum facio. Cyprianus martyr infirmus Theologus est Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores censeri aut numerari nõ debet: fuit enim hæreticus. Homo fuit nullius neq; judicij neq; diligentiæ; multa impiè scribit, ea fuit oscitantia & hebetudo ejus in scripturis intellgendis, more suo judaicas cæcitates pro historico sensu, deinde suas ineptias, pro allegoria obtrudit. Nullum inter Patres scio, cui ita sim inimicus, atq;*

Hieronymo: nihil enim ſcribit niſi de jejunio, de delectu ciborum, & de virginitate. Legi poteſt propter Hiſtoriam. Nam de fide, veraq; Religione & doctrina, ne verbum quidem in ipſius ſcriptis extat. De fide, ſpe, charitate, deq; operibus fidei nihil quicquam docet. Origenes, Hieronymus, & omnes propemodum Doctores, non intellexerunt, quid ſpiritus & litera ſit. In operibus ipſorum magnæ tenebræ ſunt de fide. Gregorij conciones ne teruncium quidem valent. Diabolus eum in Dialogo ſuo craſſè decepit, &c. Ita anima vipera virus ſuæ acerbitatis in doctiſſimos Patres evomuit. *Colloq. menſ. fol. 474. 460. 476. 477.* Ita mala mens, malus animus ex malo cordis ſui theſauro loquitatus eſt illis malè, qui de tota Eccleſia optimè meriti ſunt; *Tom. 2. lat. Wittenberg. fol. 500. & 505.* Ita infamis ille parricida parricidium ſuum prodidit; & ſcreator fætidus attractam pinguem ſalivam in ora patrum exſpuit, dignus qui in culeum inſueretur, & vivus in flumen dejiceretur. *Tom. 2. Germ. fol. 443. & 449.* Verùm enim verò ſi Lutherus fuiſſet canis eccleſiaſticus, non allatraſſet patres Eccleſiæ. Origenem excommunicavit, magni nominis Theologum, qui fidem Evangelicam & ſcriptis, & vivâ voce non parum illuſtravit. Sed hunc ferre non potuit, quia ipſe adhuc adoleſcens ſuos teſticu-

los

los ferre non potuit: quippe fervido quodam castitatis studio, atq; acri incensus Origenes, partim ut liberiùs, & citra pudicitiæ periculũ Evangelicæ professioni posset incumbere; partim ut expurgaret se à suspicione libidinis, & notæ jam destinatæ à censoribus eximeret, seipsum castravit. Lutherus verò non erat eo prognatus genere, ut in sua natura castitatem pati posset.

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur.

Nunquam ventriosus, & bucculentus ille Monachus monasticæ vitæ sanctitatem in Suecia, Dania, & Germania sustulisset, neque religionem Catholicam deformare unquã tentasset, nisi priùs suum ventrem, & ea quæ sub ventre sunt (ut loquitur Erasmus) fœdè & turpiter deformasset, polluisset, inquinasset: qui nisi viriliũ eversorem ex sua communione everrisset, viri nomen tueri non valuit. Dij, inquit, illum eradicent, qui acuto cultro sibi exenteravit marsupium, quo sublato debitor non est solvendo.

Quàm Luther est similis Davidis! hic carmina lusit
In Cythara, in Nonna lusitat ille sua.

In Athanasio ejusdem judicio nihil singulare fuit: sed illum depravatè, & corruptè judicasse evidenter monstrat singulare S. Athanasij Symbo-

Symbolum contra Arrianos, quibus nihil acerbius, nihil insidiosiùs, nihil crudelius in vita sua expertus est vigilantissimus Catholicæ fidei propugnator. Tertullianus vir fuit acris, & vehementis ingenij, sed acrioris longè judicij. Africanum enim istud acumen, quò non pervasit? Apologeticus ejus, & contra gentes libri, cunctam seculi continentes disciplinam evincunt, nihil esse illo eruditiùs, nihil acutiùs. Sed quem Hieronymus agnoscit pro suo magistro, illum Lutherus audet vocare superstitiosum, & *verum Ecclesiæ Carolostadium*. Joannes Chrysostomus à suavitate eloquentiæ ita cognominatus, id est, os aureum; qui ipsa orandi majestate & Reges quò vult ducit, & populos trahit, Lutherum saburratum offendit: cui obliquo & acuminato capite pugnanti nihil aliud videtur, quàm *saccus verborum plenus*. Sed ille subulcus meliùs judicat de scrophis grunnientibus, quàm de doctoribus eloquenter, & salubriter dicentibus. Basilius Magnus apud nostrum Aristarchum nihil prorsus valet; *purus putus est monachus*: sed valuit apud Imperatorem Valentem, Arrianorũ fautorem, à quo jussus officio suo renunciare, & solum vertere, nullis minis abduci potuit ab illa religione & fide,

de, quâ suo Regi & gregi devinctus erat. Itaque in jus vocatus tanquam contumax, accepto noctis spatio ad deliberandum, nequaquam ego ait: Tu potius in hoc spatio ab incæpto desistes. Dictũ factum. Nam ea nocte uxor Valentis gravissimo correpta morbo, & filiâ insuper parvula extinctâ, misit qui rogarent Basilium, ut precibus ad Deum fusis, ipse saltem servaretur. Vides Valentem Imperatorem non potuisse à Deo impetrare inducias vivendi, nisi ejus culpam deprecatus fuisset Basilius, Cappadocum præsul, magnus apud Deum monachus, quem Lutherus *pili non facit*. Sed non amat monachos, quamvis sanctissimos, qui leges vitæ monasticæ abrogavit sanctitatis desertor. Cyprianus vir eloquentiâ pollens, ingeniosâ brevitate, luculentâ omnium historiarum scientiâ, exquisitorum verborum & sensuum splendore demonstravit Idola non esse deos: Christum deinde publicè prædicavit, & pro illo sanguinẽ effudit Martyrio coronatus. Vah, quid tuo potest pejus quicquam Luthero memorarier, qui etiam hunc Martyrem irridet: Hieronymus præter fidei meritum, dotemque virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed Hebræis etiam literis ita institutus, ut se illi

in

in omni ſcientia, nemo audeat comparare, de quo non immerito ferebatur illud: Neminem ſciſſe, quod HIERONYMUS ignoraret. Quod Proſper in Chron. firmat his verbis

Hebræo ſimul, & Græco Latioq; venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; Magiſter.

Vir vitâ innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi poteſt: qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit, Luthero eſt inviſus, atque odioſus, quia multa ſcribit de jejunio, de delectu ciborum, & de virginitate. Enimverò illud præter alia mira, mirarer maximè, ſi animal ad convivia natum, monſtrum nulla virtute redemptum à vitijs, æger, ſolaque libidine fortis, Lutherus Hieronymum amaret: craſſus tenuem; bellè corpulentus bene macilentum; athletarum robore ſuperbus fame effractum; ſatur jejunum; rubicundus pallidum; madidus ſiccum, ebrius ſobrium. Ita Lutherum ſancta amet ſaturitas, quâ Deum ſuum tranquillum faciat ſibi, ut nihil eſt ſuavius in rebus humanis, quàm amor bellarum, atque amabilium fæminarum: quemadmodum ipſe proverb. cap. ult. ad verba illa. *Mulierem fortem quis inveniet* ? in margine commenta-

mentatur. Nichts liebers ist auff Erden / dann
Frawen Lieb / wenns kan werden. Ne miremur
ergo amplius, venereum nepotulum odio Lu-
therano prosequi Hieronymum, de jejunijs
& delectu ciborum scriptitantem. Lutherus
fugitivus monachus, fugitivam duxit uxorē:
non potest jejunare, quia sine Cerere & Bac-
cho friget venus. Gregorius Magnus ex urbis
præfecto, monachus S. Equitij factus est: ex
monacho septimus Levita designatus fuit à
Pelagio Papa. Ex Diacono est creatus Papa.
Anno Christi. IↃxc. *Hic ut verba Sigeberti re-
tineam, librum dialogorum, quem cum Petro, diaco-
no suo, de miraculis Sanctorum sui temporis habuit,
Tendelinda vel Trudelinda Longobardorum reginæ
pro munere misit. De Petro istoc, qui cum dialogi fuē-
re habiti à Gregorio, mirificam ibi rem narrat Sige-
bertus, his verbis: Scripsit & alia, quæ à Romanis
post mortem ejus combusta sunt, qui & omnia opera
ejus combusissent, nisi Petrus, Diaconus ejus interve-
niens confirmasset jurejurando, se vidisse S. Sanctum
quasi columbā super caput Gregorij tractantis seden-
tem, rostrum suum ori illius inserentem, & hoc ipsum
Petrus hac conditione fecit, ut, si ipse post factum jus-
jurandum statim moreretur, Romani à libris Gregorij
comburendis cessarent: si non moreretur, ipse etiam
combustoribus librorum manus daret. Sic Petrus in-*

ter

ter verba juramenti exspiravit, & Romanorum insania cessavit. Quicquid sit, Lutherus hujus Gregorij Magni conciones omnes unius non æstimat assis: qui si apud nos viveret opera Lutheri non emeret titivillitio: in quibus

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Diabolus eum in Missa sua angulari crassè decepit. Augustinus fertilissimi ingenij, & facundissimæ doctrinæ princeps, incredibili rerum reconditarum scientiâ etiam ante conversionem valuit, floruit, excelluit: tantaq; interdũ pertinaciâ, & disputationis suæ acrimoniâ, ac vehementiâ S. Ambrosium urgebat, ut non posset se sine auxilio divino illius captionibus expedire: quo precibus invocato & impetrato, uterque tandem & captator & cautor extricatus est. Sed ille hæresi mortuus, artifex occidendi hæreticos factus, omni egit studio ut hostes Ecclesiæ sui quoque hostes fierent, lumen & splendor Catholicæ fidei: vix tamen à Luthero tantũ impetrare potuit, ut ingenuè fateretur illum scire quid discriminis sit inter literam occidentem, & spiritum vivificantem. Patres omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententijs suos referciunt libros, ut nescias quid in illis primũ admirari debeas, eruditionẽ seculi, an scientiam

tiam Scripturarum. In operibus ipſorum magnæ ſunt tenebræ de fide. Lutheri: qui pro ludibrio ac delectamento habet Origines, Athanaſios, Tertullianos, Chryſoſtomos, Baſilios, Cyprianos, Hieronymos, Ambroſios, Auguſtinos, Gregorios, &c. Hic ego non intelligo quo ore, quâ fronte, quo calamo Lutherani provocent ad doctrinam, & authoritatem patrum, de quibus Lutherus ipſe tam contumelioſè loquitur. *Valde*, inquit, *ſpecioſum, & robuſtum videtur argumentum Papiſtarum. Eccleſia tot ſeculis ſic ſenſit, & docuit, ſic ſenſerunt & docuerunt omnes primitivæ Eccleſiæ Doctores, viri ſanctiſſimi: quis es tu, qui audes ab ijs omnibus diſſentire? Quando Sathan hoc urget, conſtanter hoc dicas; ſive S. Cyprianus, Auguſtinus, Ambroſius, ſive S. Petrus, Paulus, Ioannes, imò Angelus de cælo aliter doceat, tamen hoc certò ſcio, quod humana non ſuadeo, ſed divina. Ibi enim cum fiducia dicere poſſum. Eſto ſanè, Eccleſia, Auguſtinus, alij Doctores: item Petrus, Apollo, imò Angelus è Cælo diverſum doceant, tamen mea doctrina eſt ejuſmodi, quæ ſolius Dei gloriam illuſtrat. Petrus Apoſtolorum ſummus vivebat, & docebat extra verbum Dei.* Tom. 5. ad Gal. c. 1. fol. 290. Miror equidē Lutherum habuiſſe in corpore ſanguinem, & non erubuiſſe cum illa verba faceret! Sed ejus frons,

frons, non est frons, qui audet nobis persuadere, suam doctrinam solius Dei gloriam illustrare; cum impudentissimo ore fateatur se ab Ecclesia, & omnibus ejus Doctoribus dissentire! Delere cunctorum majorum placita, & rabie quâdam in omnes Ecclesiæ patres perorare, est ne hoc solius Dei gloriam illustrare? Decreta ipsius Articulo 65. & 67. cōtenta, sunt hæc: *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiā infundit. Homo justus in omni opere bono peccat.* Ein gutes Werck / wan es gleich zum allerbesten verricht wird / ists dennoch Sünde. *Coram Deo operibus non indigemus, sed erga homines. Coram Deo nulla re indigemus, nisi nuda fide?* Nihil est profectò stultius, neque stolidius, neq; mendaciloquius; quàm asseverare tā magnis & imprudentibus mendacijs gloriam Dei illustrari. Longum nimis foret, omnia Lutheri Zizania hic colligere, & commemorare, quæ vulcano commissa, incensaq; authori suo gutturem comburent, & animā tibi adiment, nisi ejus doctrinā æternùm valere jubeas. Addam ejus censoria dicta, de libris aliquot veteris, & Novi Testamenti, quæ reperiuntur partim in colloquijs mensalibus, partim in præfationibus librorū novi Testamenti; ex quibus monstrosa Lutheri fides patefiet. 1. *Argumentum libri est fere ut argumen-*

mentum fabula. 2. Scriptor illius libri scripsit eo modo, quo Terentius scripsit suas comœdias. 3 Non credo omnia facta esse eo modo, quo in libro Iob referuntur. 4. Odi librũ Esther, & cuperem non extare 5. Liber Tobiæ est Poema, in quo de mulieribus agitur, & exemplar administrandæ familiæ. 6. Multa in hoc libro stulta, & ridicula continentur. 7. Liber Iudith non est historia, sed figmentũ, compositum ad imitationẽ Virgilianæ Æneidos, & Homericæ Iliados. 8. Author libri, qui Ecclesiastes inscribitur, videtur ocreis, & calcaribus destitutus equitare tantum in soccis, sicut ego solebam, cum adhuc essem in cœnobio. 9 Ecclesiasticus, qui hunc librũ composuit, est concionator legalis, & Iurista: docet quomodo vita hæc externa, & civilis benè sit instituenda: sed non est Propheta, nihil docet de Christo. Est liber sicut Thalmud, ex varijs libris collectus. 10 Libri Regum præcedunt centum, & mille cubitos scripto Paralipomenon. Ideo libris Regũ plus credendum, quàm libris Paralipomenon. 11. Multa in libro Apocalyp. desidero, ut neq; Apostolicũ, neq; Propheticũ judicem. 12. Nullo modo advertere queo, à Spiritu S. compositum esse. 13. Spiritus meus non potest cum hoc libro concordare. 14. Epistola Iacobi comparatione Evangelij straminea est, & Apostolico spiritu destituta. 15. Ioannis Evangeliũ est unicum, tenerũ, verum, genuinũ, & principale Evangeliũ, & tribus reliquis longè longè preferendum, & anteponendũ. Hoc facinus pulchrũ est

scili-

scilicet, hoc probum est, hoc lepidum, hoc factum est fabrè, de verbo Dei scripto contumeliosè loqui, & nihilominus impudenter gloriari de puritate suæ doctrinæ, quasi illâ solâ Dei gloria illustretur! Sed ut rem à principio repetamus, & hanc tandem epistolam concludamus. Quis est ille Gigas ex luto & argilla factus gloriosus miles? qui basilicè exornatus incedit, & fabrè ad fallacias; qui cudere solus novit plumbeos nummos; ante cujus reformationem stulti, & miseri omnes erant religiosi monachi? Protestantium ductor, Ecclesiæ Catholicæ blasphemator, Ecclesiasticorum criminator, Patrum calumniator, Conciliorum contemptor, multorum sacrorum librorum irrisor, Joviniani & Vigilantij, veterum hæreticorum defensor, antiquæ hæresis reductor, ac reformator, naturalium arcanorum acer, & diligens investigator; uno verbo, Lutherus: qui hæc omnia hic & alibi non solùm confitetur, verùm etiam profitetur spurcificus, immanis, intollerandus, vesanus. Nunc tu vide quid facto opus sit: ne dicas quæso cū illo fatuo, *etiamsi Lutherum in inferno viderem, tamen ab ejus doctrina & fide divortiū facere nollem.*

Dij meliora pijs, erroremq́ hostibus illum.

Vale, Lond. 4. Non. Maj. M. DC. XXIII. EPI-

EPISTOLA XXXIX. Londinum.

CAROLO HORN, *Baroni Suceo, altitudine animi nobiliss:* S.

Qui has perfert, Gallus est, clarissimo apud suos loco natus: quem à nostro complexu, & convictu distraxit metus à læthiferâ peste, quæ hîc Lutetiæ sævit, suumque venenum latè diffundit: & inde amor videndæ Angliæ, quæ tot eruditorum virorum luminibus refulget. Sed hodie primùm animum suum aperuit de sua in Britanniam fugâ, quâ salutem quærere consultissimum putat, & has à me aufert commendatitias, quibus amicorum meorum, quos Londini habeo, fores sibi vult patefieri, quarum se futurum subinde hospitem pollicetur. Ego quia cras mane Deo favente, ex his ædibus; in quibus amicitiæ mutuæ fundamenta jecimus, cum meis Crusijs migraturus sum, publico timore perterrefactus, non possum prolixas hac vice ad te dare literas. Suffecerit tibi scire nobilissimi, & doctissimi juvenis studium cognoscendi, & compellandi illustres viros: cui non gravaberis interdum humanitatis tuæ thesaurũ explicare, & illum insuper in aliorum favo-

tem, & notitiam insinuare, qui claritatis aliquid habent ab ingenio, & scriptis. Si tuâ operâ deductus fuerit ad nostrum Holstenium, excipietur haud dubiè ab ipso porrectâ fronte, & comi sermone. Novit accuratè statum celeberrimæ hujus civitatis, in cujus bona & mala, virtutes ac vitia inquirere, curiosis novarũ rerum investigatoribus, & perscrutatoribus nõ erit operosum. Propter pestis, & contagionis hîc ingravescentis periculum, non audeo vobis suadere, ut iter ad nos maturetis: nihilominus si vobis est animus hujus periculi periculum facere, à communi periculo nõ eritis immunes. De nostro corio hîc luditur, & de vestro quoq; agentur comitia. Valete. Lutetiæ Paris. 17. Cal. Aug. M.DC.XXIII.

EPISTOLA XL. *Londinum.*

GUSTAVO HORN, *Baroni Sueco, fortunæ in quam alitur capacißimo.* S.

QUæris quid agatur in republica non Platonica, sed venatoria, id est, mea? oblitus peregrini officium esse nihil, præter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimeq; esse in aliena republica curiosum.

Per-

Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.
Sed nihilominus; ut curioſitati tuæ fiat ſatis,
deſcribam tibi amicorum meorum venatico-
rum mores, naturam, fidem & probitatem, ut
diſcas virtutibus abundare, & alienas amare.
Ad venationem quotidie ante diem profici-
ſcor, ſine ſervorum ſtrepitu, & incondito ca-
num ululatu res agitur: venabula & caſſes
ipſe mecum porto tacitus, ſine tumultu. Ve-
natores improbos (qui animum ut ſcis ægro-
tum ad deteriorem partem applicant) cane &
angue pejus vito. At cum illis veteranis, & me-
lioris notæ indagatoribus, in angulum aliquẽ
me abdo, retibus explicatis. Interea dum prę-
dam expecto in caſſes meos caſurã, cum ami-
cis ſuaviter otioſus, aut dulcia quædam muſ-
ſito, aut eos aliquid inſuſurrantes audio, apud
quos eandem loquendi libertatem exerceo,
quâ apud meipſum utor. An quicquam his
opportunius? Arcana ipſi ſua tegũt nunquã;
ſuis commiſſa auribus, & in ſinum effuſa, an-
tiquâ fide ſervant: nihil eorum, quæ liberiùs
amicorum fidei committere ſolemus elimi-
nant; futilium, & rimarum plenorum, hâc at-
que illac perfluentium oſores. Vocati præſtò
ſunt, invocati non obtrudunt ſe; ne tu pu-
tes illos aliquid monſtri alere: rogati ver-

ba faciunt, non rogati latent, & silent: proloquentur quæ voles, quantum voles, quoad voles ex animi sententia; nec mos illis, & mens assentandi, qui aulicarum artium ignari, simulandi, & dissimulandi imperiti, neminem falsis laudibus onerant, nemini detrahunt; sed aut jucunda dicunt, aut salutaria: in felici rerum successu, animo ad vitia prono modestiam commendant, moderationem inculcant; diffidentem rebus suis confirmant, jacenti dextram porrigunt, luctu ac mœrore afflictum erigunt, perditumque recreant: res dissolutas, divulsasq; conglutinant, & ratione quadam constringunt. ô constantiam promissi, & fidem miram! cum fortunæ mutatione animum non mutant, provident pericula prudenter, amant constanter, respondent subtiliter, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Vides candidam amicorum meorum fidelitatem, & sine labe simplicitatem, qui nõ modò interdiu adsunt suo venatori, sed etiam nocte vocati accurrunt, omnia sua secum portantes, & liberaliter communicantes. Panem petenti lapidem non porrigunt, neq; anguillam roganti serpentem. Hic absq; dubio animadvertis verum esse verbum, quod me-

mo-

moratur: ubi amici, ibi opes. Facio subinde periculum in literis, facio in Philosophia, in Theologia, & nunc hos, nunc illos mihi adjungo, peregrinationis meæ comites, quibus in via pro vehiculo utor. Nemo illorum ad mortem me adigit, nemo annis meis quicquã detrahit, suos mihi adjiciunt. Quicquid annorum ante me actum est, illorum beneficio mihi acquisitum est. Hos prudentes, & officiosos esse cognosces, qui docent bene vivendũ esse, ut bene moriaris. Hos cum veneris, voles habere quàm familiarissimos, quorum nullius sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa observatio. Hos experieris semp hospitalissimos, amicissimosq; nostræ gentis: nunquã inviti te in hospitale cubiculum deducent: nemo non venientem ad se ditiorem, amantioremq; sui dimittet, nemo te vacuis à se manibus abire patietur. Sed experiri istuc mavelim te, quàm tibi à me memorarier. Non referes, crede mihi, uvidum rete sine squamoso pisce. Quæ ego tandem fortunæ bona, cum hac amicorum meorum miti humanitate, & benigna pietate commutavero? Verum enim verò ne nostra te fallat metaphora, quicquid de amicis hactenus te-

cum philosophatus sum, id totum de libris intellige, quorum justa delectatio me planè beatum efficit, hoc solo infortunatum, quod non sis venationum nostrarum comes, venatoris alioquin amicus. Tu, qui piscator es, nisi eam imposueris hamo escam, quam scieris appetituros pisciculos, sine spe prædæ moraberis in scopulo. Vale, & ubi pisces ex sententia nactus fueris, ne tibi corrumpantur caveto. Me venatus, Te aucupia, piscatusque alant: ambo vivemus. Lutetiæ Paris. 3. Id. Augusti. M. DC. XXIII.

EPISTOLA XLI. *Londinum.*

CAROLO HORN, *Baroni Sueco, magni ingenij, magni acuminis, literarum ac literatorum amantiss: S.*

LIteræ tuæ videntur præ se ferre, nescio quam tristitiam, quasi urgereris domesticis quibusdam incommodis, quæ animũ tuum diversè trahunt, & tranquillitatem mẽtis interturbant. Dolerem vicem tuam, nisi cuiq; mortalium satis esset quod ferat. Sed institue mentem ad præclaras cogitationes, & spiritus recollige generoso tuo pectore dignos. Vulgares, & plebejæ animæ ad primum for-

fortunæ ictum concidunt: Tu verò ingentem
retine in angustis rebus animum. Et gaudium
tibi, & solatium apud Musas paratum : nihil
tam amænum, quod illis amænius: nihil tam
adversum, aut molestum, quod non beneficio
illarum sit minùs molestum. Proinde ne minu-
tæ curæ, & sollicitudines animi tui magnitu-
dinem atterant, ad unicum doloris levamen-
tum Philosophiam confugito, quæ præstat, ut
adversa magis intelligas, sed patientiùs feras.
Age ergo in Anglia, quod ipse ago in Gallia.
quid ? vitam jucundissimam, id est, otiosissi-
mam. Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiã
complectuntur : soli anima fruuntur : nec
enim suos tantùm annos bene collocãt, omne
ævum suo adjiciunt. Nunc cogita nihil esse
dulcius otio literario, id est, studio : nihil sua-
vius, quàm aliquo negotio intentum præcla-
ri facinoris, aut artis bonæ famam quærere.
Vel pace, vel bello clarum fieri licet. Ve-
rùm ut intelligas grata nobis fuisse arca-
na illa domestica, quæ epistola tua detexit,
& patefecit ; accipe vicissim lepidam de tui
hospitis filio historiam, quæ te pariter oble-
ctabit. Nuper cũ ob òris impudentiam, & con-
tumaciam à seniore Crusio insigniter vapu-
laret, ne manus putaretur habere ligatas,

aut nimiùm frigidas, cæpit digitos paulatim complicare, & pugno ad pugnam parato os verberantis reverberare. Postquam jam ambo defatigati essent, Suecus dominus verberando, Anglus servus vapulando: ego insolentiæ prodigio obstupefactus, culpam homunculi plusquàm audaculi deprecari nec volui, nec potui. Hic cum nullam spem veniæ sibi superesse animadverteret, servitio exolui petijt, fortunam suam apud alios meliorem fore ratus. Ibi Junior Crusius irâ inflammatus, loquentem hoc modo interpellavit. Quid ex te audimus audaciæ columen, Gymnasium flagri, catenarum colone? Equidem si nondum persentiscis nobis non esse tam degeneres animos, aut nos ita Stoicę disciplinæ addictos, ut non possimus de nobis male meritis irasci, caput tuum palpa, quod colaphis tuber est totum: ita facili negotio, tactu ipso cognosces te probè mulctatum, dignum factis tuis præmium retulisse. Quia verò manumissionem, & libertatem abeundi rogas, non modò tibi permittimus, quod à nobis impetratum vis; sed etiam pro nostra authoritate imperamus, ut sine mora à conspectu herili te subducas, ni velis loris operiri, & iracundiæ fratris mei, dum adhuc recens est, crudelitatem amplius

plius experiri. At ego te per crura, & talos, tergumq; obtestor tuum, abi hinc in veneris fanum, ut edormiscas hanc crapulam, quam potasti præter animi quam libuit sententiam. Mirati profectò sumus Francisci Crusij objurgatoriam eloquentiam, qui ab illo non expectavimus illam extemporaneam facundiã. Addidit deinde noster argutulus ridiculum esse, si Anglus possit carere beneficijs Suecorum, Suecos non posse vivere sine Anglo. Ita verbereum caput gratiâ nostrâ excidit, & Lutetiam Parisiorum viatico perexiguo se recepit. Ubi cum aliquot dies nummorum suorum periculo comedisset, iterum ad nos supplex redijt, & irâ interea temporis mitigatâ placabiles offendit, veniamq; impetravit. Nõ enim necesse judicavimus nimis severè cum illo agere; sed ita bilem nostram temperavimus, ut meminerimus & nos homines esse, & humanum peccare. Monui ego ex præcepto sapientum, sæviendum esse non in homines, sed in vitia: cum illis pacem habendam, cum his bellum gerendum. Prȩterea hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere usurpandum, ut in nos ipsos severè animadvertamus animadversione dignos, & exorari nos sinamus etiam ab ijs, qui nemini præterquã sibi igno-

scunt. Is verè magnus est, qui delicta neq; observat omnia, neq; pro modo exsequitur, multa dissimulans, tanquam sibi malè conscius: ita peccatis abstinet, tanquam nemini peccaturo, aut jam lapso veniam sit daturus. Vides ergo nos iratos fuisse nostro famulo, & meritò id quoq; vides: sed tunc præcipua mansuetudinis laus, quum iræ causæ justissimæ sunt. Licebit rursus irasci, si canis ad vomitum redierit: quod exorati faciemus excusatius. Ita habes comædiam tibi descriptam, ab uno Anglo, & tribus Suecis peractam, paucis personis & actibus absolutam. Vale, & comædos comædicè ama: historicum historicè. Mantuæ Normanniæ 11. Cal. Octo. M.DC.XXIII.

EPISTOLA XLII. Londinum.

ERICO GULDENSTERN, *Illustri Sueco, modestiâ suavi ornatiß:* S.

Quantum generosæ tuæ indoli ad omnia honestatis, & pietatis officia genitæ tribuam, malo te ex virtutis amore, quàm verborum meorum blanditijs pensare. Sed ut tibi respondeam, & epistolam famuli tui sine circuitione tangam. Ferunt Alexandrum Magnum confabulantem cum Diogene, quæsijsse

ſiſſe ab eo, num ipſum metueret? At ille, quid es? bonus an malus? Alexander reſpondit ſe bonum. Quis, inquit, timet bonum? convicit regem non eſſe formidabilem, niſi ſe malum profiteretur. Eodem, queſo, Enthymemate, & tu meo nomine ſatisfacias tuo ſervo Petreolo, qui literis ad me miſſis meam tentavit ſententiam, pro ſua ſimplicitate meo favore digna percontatus, an ſibi in Galliam ituro fas ſit libellos Suetico, & Germanico idiomate compoſitos ſecũ ex Anglia auferre. Dic me rogare, utrum iſti libri ſint boni, an mali? Si boni, cur timeat eos ſibi peregrinaturo itineris comites adjungere? Sin mali; vel me tacente ſcire debet, quid facto opus ſit. Noſti inſuper iſtud Ariſtippi, quod de illo refert Bion, cum famulus in itinere geſtans pecunias, onere premeretur: abjice, inquit, quod nimium eſt, & fer quod potes. Cujus Philiſophi conſilium, ſi vel peregrinantes, vel peregrè profecturi, ad ſua impedimenta rectè accomodaverint, non invidebo illis prudentiam viaticam. Academiam verò Pariſienſem, pietatis ſedem, humanitatis ſcholam, gem̃am & decus orbis Chriſtiani, quid multis tibi commendem? Nuſquã collegiorum major, aut paratior copia: nec alibi felicior ingeniorum proventus. Etenim

tot

tot egregijs viris, ceu ſtellis lucet hæc animorum officina, ut vix ſui ſimilem agnoſcat. Diſputationes Philoſophicæ, & Theologicæ, magnâ cum ſolennitate, & inſolita Suecis pompa hic habentur: in quibus Philoſophiæ Doctores, & Theologiæ, ut vocant, Baccalaurei, togis talaribus, & pileis quadratis ſpectabiles, ſubtiliſſimis ſuis argumentis Theſium defenſores oppugnant, præſentibus ſæpe Cardinalibus, Epiſcopis, & nobiliſſimis Regis Chriſtianiſſimi Senatoribus, oppugnantium cenſoribus. Ubi Deo favente ſalvus, & incolumis Lutetiam veneris, & Gallorum acumen ſenſeris, fateberis ingenuè hanc civitatem magis eſſe eruditam, quàm lutulentam. Vale, Pariſ. prid. Cal. Octob. M. DC. XXXIII.

EPISTOLA XLIII. Londinum.

CAROLO HORN, *Baroni Sueco, liberali doctrinâ politiſſ.* S.

Quamvis nihil certi habeam de tua ex Anglia in Galliam migratione, quam feliciter evenire volo: hominem tamen hîc tibi dabo, viarum publicarum, & privatarum monſtratorem, cum quo paciſci, paucula pecunia potes, ut ſuam operam tibi locet, certo

to pretio te Lutetiam ducturus. Sed non au-
deo tibi suadere, ut versus Diepam, & Rotho-
magum naviges, ne transeundo pestis in
illis locis sævientis incendio correptus ex vita
migres, & tuos plorare jubeas. Quid ? contra-
xisti frontem, quia tragediam hanc dixi futu-
ram. Est sapientis, quid homini accidere possit
præmeditari: ferendum humaniter, si homo
humana passus fuerit. Philippus niger, indi-
viduum illud vagũ, ultrò citròq; navigando
multa novit diverticula, per quæ in tabernam
te ducet diversoriam, ubi malè accipieris tuâ
pecunia. Extra jocum, noster Ulysses suâ vir-
tute abundè dives, centum ducatos Ulysseos
tuis contubernalibus dabit mutuos, si se sup-
plices ad ejus pedes abjecerint, fide datâ de
mutuo cum usura restituendo. Quod si ejus
marsupium tantum turget, quantum gloria-
tur ipse, dij date facultatem pariundi, atque
glorioso huic militi in alijs potius mentiendi
locum. ô Juno Lucina fer opem. Tui commi-
litones viatico fortassis indigentes, nō grava-
buntur manus illi suas, obstetricum partibus
functuras locare, & fætum illum aureum ex
crumena Thrasonis educere, nobis exoptatis-
simi, & acceptissimi hospites cum milite phi-
losopho futuri. Valete, & si poteritis, sine mo-
ra

ra huc advolate: quippe non pænitebit vos maturæ migrationis. Novi loci genium, in quo degimus; qui spem vestram non fallet. Lutetiæ prid. Id. Non. M.DC.XXIII.

EPISTOLA XLIV. Londinum.

JACOBO GRONBERGIO, *Stocholmensi Sueco, S.*

PRopositum tibi, atq; decretum fuit, meam in scribendo negligentiam obstinato, & constanti silentio vindicare; ut, si quam voluptatem in tacendi lege perseverãdo cepissem; eam nihil à te literarum accipiendo amitteré. Amoris hoc deliquium fuit, cujus tener sensus in plagam patet, etiam ad leviculas offensiuncularum suspiciones. Sed laudo mitem tuã indolem, quæ non necesse habuit omnia pro jure talionis agere: laudo pænitentiam, quæ malè consulta, & decreta rescidit: laudo prudentiam, quæ à cognito, & damnato errore te revocavit. Irascebaris, urebaris, pungebaris, nec liquebat tibi Stoicæ Philosophiæ alumno, an deberes: sed tamen irâ morsus nô desilijsti (quod proverbio dicitur) è sartagine in favillas. Iratus adhuc es, sed placari vis. Nã ut bilis tenerè amantium leni negotio movetur,

tur, ita facilè sedatur. Absterges omnē animo
scabitudinē, si scitè verba dedero. Persuasum
quæso habeas, non esse me tam imbecillo ani-
mo, ne dicam inhumano, ut à te vinci possim
amore. Si suspicaris me parciùs scripsisse, quā
te, nihilo tamen parciùs amo. Si verò scirem te
amoris mei modū ex multitudine, vel pauci-
tate literarum mearum velle metiri, dicam ti-
bi scriberem grandem, quâ jure tenetur men-
sor, qui falsum modum dixerit. Quamquam si
rectè calculum posui, non plures à te accepi,
quàm reddidi. Verùm enim verò gratulor tibi
felicem ex Zelandia navigationem in pulcher-
rimam, & cultissimam illam Anglorum Insu-
lam, venustissimis nymphis refertissimam. Tę-
det quotidianarū formarum, & deles omnes
ex animo mulierum facies, quas tecum tulisti
Londinum. Sed cave tibi ab istis calidis, & cal-
lidis Anglorum filiabus, quæ compressioni-
bus arctis, & mollibus morsiunculis multos
amatores pessundederunt. Vis esse salvus? ob-
turatis adversus Syrenum cantus auribus,
Musis virginibus tantum adhære, quæ nasum
non adimunt mordicus. Vale, & bene dictum
puta: pænitere tanti non emo. Lu-
tetiæ 5. Idib. Decemb. M.DC.
XXIII.

EPI-

EPISTOLA XLV. Arosiam.

JOANNI RUDBECCHIO, Episcopo Arosiensi. S.

EX omnibus officijs nullum est, neq; elegantius, neq; ad honorem præstantius, quodq; hominem magis deceat, quàm libenti,& prompto animo sublevare fortunas afflictorum, qui fatorum iniquitate magis, quàm suo vitio à paupertate circumveniuntur. Ex quorum numero est hic CONTARENUS PALÆOLOGUS, Cancellarius Ecclesiæ Metropolitanæ Thessalonicensis, qui ob magnitudinem,& puritatem amoris sui ergà CHRISTUM,&Christianos captivos,bonis temporalibus exutus est,ad unam tuniculam,& misellum pallium redactus. Sed cùm consilium cepisset proficiscendi in Sueciam, & jam in procinctu esset, ut se viæ committeret, ad me venit consilium,auxiliumq; expetens. Ego hominem monere, ne incertâ spe certas incommoditates longinqui itineris susciperet ad gentem ignotam,popularium meorum relatu eruditus,duos ante biennium Græcos totam peragrasse Sueciam, qui prolixam ac beneficam Suecorum,Gothorumque naturam satis su-

superq; experti sunt, ita vt jam in hac temporú difficultate, &annonæ caritate inducias mererentur ab aliorum mendicitate. Verùm enim verò cum firmiter decrevisset fortunam suam apud nostros tentare, & omnia experiri priusquam pereat; blandâ precum vi, & mea voluntate coactus sum, vt hâc commendatione aditum illi ad te munirem, atq; patefacerem. Rogatus rogo, qui denegare non potui humanitatis officium homini, quem sua pietas erga Christianos, Christianis abundè insinuat, atq; commendat. De viri probitate, ejusq; integritate videbis clarissimorum virorum testimonia, quæ secum circumfert Christianæ caritatis pignora; qui in tua benignitate spem cogitationum suarum habet repositam; authoritate tuâ confirmandam & commendatione insuper apud alios promovendam. Non sunt immodici ejus ambitus, nec insatiabilia desideria, qui mediocri sorte contentus erit, quâ se ab egestatis injuria vindicare poterit,

Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

Ita vides me jure popularitatis vsum, quod mihi humanitatis tuæ genius familiariter tribuere visus est, qui probè novit ibi beneficio locum esse, vbi homo est. Non dubito quin.

M vivas

vivas memor istius dicti, quod ego adolescens in tuis foribus legi depictum, sed in animo meo scriptum: *Beatus ille de cujus domo nunquam vacuo sinu exivit pauper.* Quod te beabit bene factum. *Beatus enim qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* Psal. 40. Dictant Sueci, te Doctore, imperfectam esse misericordiam, quæ precibus extorquetur: illam verò esse perfectam, quæ ante occurrit esurienti, quàm roget mendicus. Suecorum & Gothorum liberalitas, atq; gratuita hospitalitas, mundo nota est: non consueverunt modicum panem precibus egentium vendere. Pergant porro misereri, & eleemosynis peccata sua extinguere: *quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna peccatum.* Eccles. 3. v. 33. Hîc nollem te credere, Ecclesiasticum honesto, & misericordi mendacio, saluti civium calamitosorum consultum voluisse. Vale Antistes clarissime, & de Ecclesiastico, sententiam fer Ecclesiæ Catholicæ congruam: ita inter nos concruet concorditer. Lutetiæ prid. Novemb. M. DC. XXIV.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

Stocholmiam

M. JOANNI MATTHÆO *Ostrogotho S.*

SErvasti antiquam consuetudinem, cui religio vetusta initium dedit, dum ex longa peregrinatione in patriam redux, priorem tibi locum colloquendi cum absentibus, & adhuc peregrinantibus vendicares. Exordiū fuit lætum; & meritò: hoc enim scribendi debet esse principium, quod maximè exhilarat animos, & corda legentium. Sed populares mei nobilissimi, odio habēt sobriam, & nimis siccam scriptionem: nam parsimonia verborum bonorum fastidio, quàm officio vicinior videtur. Non volunt, nec amant literas Laconismi imitatrices: pingues cupiunt, & succi plenas. Ego quoq; desideravi animi tui interpretes, qui nihil prorsus literarum à te recepi. Non possum dissimulatione tegere dolorem meum, qui pluris facio literatam absentium loquacitatem, quàm otiosam taciturnitatem. Suspectæ fidei sunt, qui jugiter blandiuntur. Nemo verò syncerius amicitiam colit, quàm qui amicorum negligentiæ irascitur. Possem te silentij talione mordere, sed familiarium segnitiem, atq; socordiam pari contemptu vlcisci non est mei moris:

ris: qui probè ſcio imitationem alienæ culpæ non eſſe innocentiam. Narrabo tibi hic pro re nata miſerandum caſum, horrendumq; de quodam Germano, at memorabile magni gutturis exemplum, quod non ita pridem in hac urbe Pariſienſi vidimus. Erat ille pinguis, & nitidus bene curata cute, Epicuri de grege porcus, fruges conſumere natus; ex eorum numero, qui nunquam tam manè egrediuntur, neq; tam veſpere domum revortuntur, quin ſemper ſitiant: qui didicit.

Nocturno certare mero, putere diurno.

Et gaudium, & ſolatium illi in commeſſationibus, compotationibus, & convivalibus ludionum oblectamentis: nihil tam lætum, quod his lætius, nihil tam triſte, quod per hæc non eſſet ipſi minus triſte. ô infelicem mortalem; qui

Ridiculus totas ſimul abſorbere placentas

ſolitus, non intellexit ſe majorem famem ac ſitim habere, quàm ventrem!

Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Accedo ad initium Tragediæ, quam ille qui

Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit,

populo Pariſienſi nimis temerè exhibuit. Popularis noſter Holtzius, ex Gallia abiturus, hunc inter alios, vitæ ſuæ iratum ad epulas con-

conviviales invitarat: qui cũ potione vina-
ceaoneraſſet gulam, plurimarum palmarum
vetus, ac nobilis potator..., & propinationes
ejus proſtrati ſomno, ac vomitantes reſpue-
rent; cũ omnes fatigaſſet virtute magnifica,
tandem equum ſuum conſcendit, & noſtro
Holtzio comes ivit ad S. Dyoniſium, Honoris
gratia. Ibi poſt mutuos complexus, extremo
Vale dicto, conterraneus noſter evaſit... Ger-
manus verò qui propinaverat alijs ſalutem,
ſibi interitum, vitæ ſuæ prodigus, Lutetiam
eques repetijt, & ad horam ſuo vitio fatalem
properavit. In Urbem enim redux, vino de-
ſirans, ſolæciſmis oberrando commiſſis of-
fendit in plateis plebejos, opificum famulos,
& nobilium curſores, qui irâ accenſi, luto a-
quâ macerato exacerbabant hominis ebrij
furorẽ, & ſtricto gladio equitãtẽ, ſaxis volati-
bus in fugã cõverſum, ad crucẽ ferream, inſi-
gne diverſorij publici perſecuti ſunt. In illo
Germanus à ludibrio Gallorum tutus, de-
ſcendens ex equo, deplorare cœpit ſuam mi-
ſeriã, & ſuæ fortunæ maledicere, quod non ſi-
ceret injuriã ſibi per lutũ ſiccũ & humidum,
durum & molle illatã ſtatim ulciſci; & con-
verſus ad ſpectatores, quos habuit bene mul-
tos: Quid, inquit, vobis videtur, quot quot

hic adestis mei admiratores? Putatisne me metu mortis adactū, fugam arripuisse? aut etiamnum mihi animum deesse, exigendi ab illis vindictā? Absit, absit, inquit, ut ego homo Germanus tantū degenerare velim à virtute popularium, qui me suū tantisper esse dici volunt, dum quod me dignū est facio. Mori malim, inquit, & vel meâ manu perire, quàm famę meæ jacturā facere; cujus hactenus lucuentā mihi gloriā comparavi singularibus certaminibus, in quibus victor semper mea virtute extiti. Errátis vehementer, si me imbellé, atque timidum esse creditis, qui vitæ pericula terra mariq; toties adij. Atq; ut relinqueret oculatis testibus aliquod insigne suæ temeritatis specimé, evaginato gladio, & educto pugione primùm philosophari cæpit de egregia Stoicorū virtute, & admirando mortis cōtemptu. Si me quidem audire velitis, ita vos philosophando exercebitis, ut & mortem excipiatis, & si opus fuerit tergiversanté invocetis. Parū refert an illa ad nos adeat, an ad illam nos. Quid enim interest, quàm citò emigres, unde tibi, velis nolis, emigrandum est? imó quid ad rém pertinet, quamdiu remigio veloq; quantum potes festinando fugias, quod vitare, atq; evitare non possis? Non ut diu vivamus

vamus laborandum est: sed ut satis. Nam ut diuturnam agas vitam, fato opus est, ut satis longam degas, animo. Romæ olim in ludo bestiarum, quidam ex Germanis captivis, cum ad matutinum spectaculum esset educendus, secessit ad exonerandam alvum: nullus alius ibi dabatur locus custode vacuus. Ibi lignum id, quod ad abstergendum podice adhærente spongia appensum erat, totum in gulam imersit, & vi præclusis faucibus suffocavit se. Hoc fuit mortem contumeliâ afficere: sed parum purè, parum decorè. At ex sententia Stoicorum nihil est stultiùs, quàm fastidiosè mori. ô popularem, *inquit*, fortem! ô dignum, cui optio daretur eligendi sibi mortis genus! quàm animosè ille gladio usus esset? Miserum est in miseria vivere: sed nulla necessitas est, quæ nos subigit miserè vivere. Quid ni nulla sit necessitas? patent undiq; ad libertatem viæ multæ, breves, faciles. Alius ante amicæ fores, laqueo se suspendit; alius è loco sublimi se præcipitem dedit, ne domini sui stomachantis clamoribus diutiùs fatigaretur: alius ne fugâ elapsus in manus invisi domini rediret, violentas manus visceribus suis intulit. Non creditis virtutem hoc

posse, quod potuit nimia formido? Rogo vos, si non stultissimum judicetis judicantem lucernæ pejus esse, cum extincta est, quàm fuit illi antequam accenderetur? Nos quoq; & accêdimur, & extinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Nonne vobis videtur omnium ineptissimus, qui plorat se ante annos mille non vixisse? Æquè ineptus est, qui flet se post mille annos non victurum. Hæc paria sunt: non eris: nec fuisti. Neutrum tempus tuum est. Punctum temporis tibi datum habes, quod vt extendas, quousq; te maceras? Reperies tamen sapientiæ professores, qui vim afferendam vitæ suæ negent, summum nefas esse judicantes, seipsum occidere. Sed qui pro sua sapientia monent expectandum esse exitum à natura decretum, non vident se libertati portam claudere. Catoni, gladium libertatis suæ vindicem eripe: magnam partê detraxeris gloriæ. Nihil melius æterna lex fecit, quàm quod unum aditum ad vitam nobis patefecit, exitus multos. Hoc est vnum vitæ beneficium: neminem inuitum detinet. Bene profectò se habent res humanæ, quod nemo nisi suo vitio miser est. Arridet tibi vita? utere: non arridet? licet eò reverti, unde venisti. Meditare quàm diu

opus

opus sit easdem repetere actiones? Quousq; eadem? edere, bibere dormire. Quousq; eadem? convivari, inebriari, scortari? Quousq; eadem? potare vt vomas, vomere vt potes. Quid me, inquit, juvarent, centum anni per inertiam, & hæc flagitia exacti? isto modo vitam transigere, non est diu vivere, sed diu mori. Sapores omniũ rerum satis superq; degustavi: dulces, suaves, pingues, amaros, austeros, acros, acutos, acerbos, acidos, salsos: nulla mihi voluptas nova est: nulla non jam molesta, & fastidiosa ipsâ saturitate. Quæ sit vinorum, Hispanicorum, Italicorum, Gallicorum, Germanicorum dulcedo, gustu didici. Quis sit aquæ vitæ, mulsæ, cervisiæ sapor, scio: nihil interest centum per vesicam, an mille amphoræ fluant. Quã suave sit mel, quàm dulce saccharum, non ignoro: quid sapiat placenta, quid omnis generis bellaria, & cupediæ optimè novi. Nihil mihi luxuria intactum in futuros annos reliquit: & tamen hæc sunt à quibus invitus divellor. Verum enim verò lusi satis, edi satis, bibi satis: tempus mihi abeundi est. Nolo amplius cibos, & potiones percolare: nolo amplius mancipiũ esse mei corporis: nolo illud diutius farcire, implere, & exinanire. Distraham cum illo societa-

cietatem. His itaq; animosè dictis, & quidem ex officina Stoicorũ petitis: noster Germanus, qui conceptis verbis toties jurarat se esse purum putum Lutheranum, pugionem suum sursum aliquoties projecit, & supernè recidentem dextre admodum, illæsâ manu recepit: sed ut videas illum perfectum quoque fuisse Stoicum, clausulam addidit omni ex parte Stoicam. Quemadmodum, inquit, navim eligam navigaturus, & domum habitaturus: ita mortem utiq;, quâ sum exiturus ex vita meliorem. Tandem Heros ille Stoicus, qui videri voluit Lutheranus, manu elevatâ pugionem tenens ferrum adegit in cor, & generosum illlum spiritum omnis potentiæ contemptorem non emisit, sed ejecit, magnum illum Catonem imitatus. Ecce habes hujus Tragediæ tragicum finem, quem nollem factum, si reddere possem infectum. Quæris quid facto opus sit? Inspicere tanquam in speculum, in vitam hujus amicos jubeo, atq; ex illo sumere exemplum sibi quid vitandum. Magna pars sapientiæ est, stulticiæ magistris, & furiosis præceptoribus nuntium remisisse, multamq; salutem Stoicorum reipublicæ ex animo dixisse. Hoc enim est bonæ menti valde necessarium, &

fru-

fructuosum, non conflictari malis ingenijs & sui dissimilibus. Sapiens videbit ubi vitam acturus sit, cũ quibus, quomodo, quid tractaturus. Tibi Sophiam conjugem dari cupio, mihi sapientiã contubernalem opto. Æqualibus bonis, æquales erimus. Vale Lutetiæ prid. Cal. Julij M. DC. XXV.

EPISTOLA XLVII. Stocholmiam.

M. JOANNI MATTHÆO *Ostrogotho.*

TAm multa sese simul offerunt, quæ & mea ad te scribere, tuâ; & te scire, meâ interest, ut facilius finem quàm principium reperturus sum. Iocer ne tecum per literas? Hunterum certè in tota Suecia esse non credo, qui nunc ridere possit, postquam ego magnus quondam Suecorum, Gothorum, Sudermannorum, Smolandorum & Finlandorum Depositor, novam illam Sueticam, Gothicam, Sudermannicam, Smolandicam, & Finlannicam religionem deposui: quo nomine ad regem ipsum, (uti nostris Baronibus Hornijs epistolâ narras) & precipuos regni consiliarios delatus sũ, & depositor depositus. An graviùs aliquid scribã? quid est quod possit graviter à Catholico ad Lutheranũ scribi nisi de amplitudine, dignitate & potestate Ecclesię Catholicę? cujus monita & decreta ꝙ nõ audi-

audierit, pro publicano ſceleſtiſſimo, & bipedum nequiſſimo habendus, æſtimandus & tenendus eſt. Quid Auguſtinum permovit ut crederet Evangelio? Eccleſia. Eccleſia, inquam, vera, vna, ſancta, Catholica, contra omnes hæreſes pugnans: quæ oppugnari poteſt, expugnari non poteſt: ex qua omnes hæreſes exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa: ſed quæ ipſa manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua, quam infernales furiæ non vincent. Quid Auguſtinũ, Eccleſiæ Catholicæ commotum authoritate, vt Evangelio crederet, in ejuſdem gremio tenuit firmum? *Conſenſus*, inquit, *populorum, ac gentium: authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate confirmata. Tenuit illum ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas, poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendarat, vſq; ad præſentem ſui temporis epiſcopatum, ſacerdotum ſucceſſio. Tenuit poſtremò ipſum* Catholicę *nomen, quod non ſine Cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia* ſola *obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* S. Auguſt. contra epiſt. Manichæi, quam vocant Fundamenti lib. vnico cap. 4.

cap. 4. Qui hunc Augustinianum solem non
perspicit radiantem, non Noctua, sed Talpa
est. Sed quid tu quæso responderes Pagano
interroganti, quam ob rem credas Evange-
lio? imò te derisum venienti, atq; deriden-
ti, quod colas Deum crucifixum: cui nihil
stultius videtur, quàm credere hominem à
Iudæis in cruce mactatum, esse Deum, eumq;
tanquam vnicum omnis salutis, culpâ pro-
toplasti, perditæ restauratorem, & totius
mundi redemptorem adorare. Quid dicis
philosophe? quid respondes Theologe? quo-
modo persuades Orator Ethnicis, credendum
esse Evangelio; quod illi cum Iudæis habent
pro falso, vano, ficto? Potes ne meliorem da-
re rationem, quàm ab Augustino datam?
*Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ Catholi-
cæ commoveret authoritas*: qui credens Evange-
lio necesse habuit credere etiam libro de actis
Apostolorum: *quoniam utramq; scripturam simi-
liter ipsi Catholica commendabat authoritas.* Sed
vt te onere respondendi liberem, & Socra-
ticè tecum agere desinam, mutemus hic per-
sonas. Esto tu explorator, & percontator:
ego responsum dabo. Quæris quare credam
Evangelio Marci, qui non fuit Apostolus,
contempto Evangelio Thomæ; qui tamē dig-
nitate

nitate apostolicâ suum comendat? Respondeo: quia Ecclesia Catholica illud recepit, hoc respuit. Quæris iterum; quare Lucæ, qui Christum non vidit, Evangelio fidem, habeam, quam denego Evangelio Nicodemi, licet is Christum viderit? Est par ratio; quia Ecclesiæ Catholicæ authoritas illud mihi credendum tradit, hoc reprobato & rejecto. Inter ea verò omnia, quæ Theologum scire decet, & scire oportet, illud inprimis cognitu necessarium est, quosnam libros pro Canonicis habere teneamur: quod fieri non potest ut scriptura ipsa doceat. Hoc ita demonstro. Si unus aliquis librorum Canonicorum cæteris testimonium perhiberet, ille tamen qui cæteris credendum esse persuaderet, alterius deinde testimonio indigeret, qui ipsi fidem faceret, & sic in infinitum, quousq; præter scripturas aliquid aliud inveniremus, quod nos certos redderet. Et quid est illud aliud, quàm Ecclesia Catholica cuius officium est, veras, germanas, & genuinas scripturas, à falsis, suppositititijs & adulterinis dijudicare ac discernere: qua quidem in re fungitur officio vindicis, & ut huic muneri satis faciat, habet spiritum Christi, qui illam in omnem ducit veritatem, quo verum à falso possit distinguere.

Si verò

Si verò homo gentilis, qui pluris facit Eva-
gelium secundum Homerum, quàm id qu-
nos habemus secundum Matthæum, Marc-
Lucam, Ioannem, mihi diceret; credis in cru-
cifixum? responderem audacter me credere
& ut fidem hujus fidei apud illum inveniret
mea confessio, signum Crucis, prætiosam
Christi imaginem, in fronte, in pectore, in cor-
pore toto manu formarem; quod non audebā
inter Lutheranos, ne haberer pro Papista:
quamvis Lutherus in sua Catechesi ipse mo-
neat vesperi ituros cubitum, & mane exper-
rectos hoc Christianorum insigne manu du-
cere. Bene quidem, nullo tamen sacrarum li-
terarum loco inductus hoc jussit. Sed quia
sanctus ille mos muniendi frontem signaculo
crucis, nullam habet ex S. Scriptura autho-
ritatem, Lutherani eâdem facilitate illum
rejiecerunt, quâ acceperunt. Nemo enim
illorum audet publicè intrando in templum,
vel ad recitationem Evangelij, vel exeundo,
more Catholicorum crucem manu elevatâ
deliniare in fronte, ore & pectore. Ego
verò divinâ favente gratiâ Catholicus confir-
matus, ipsam ignominiam quodammodo, &
quam Pagani tantopere derident, in fronte
tanquam in sede pudoris, pingo quotidie
priuatim & publicè, memor illius qui dixit:

Qui

Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo, qui in cœlis est. Ne sit mihi nuda frons, tegat eam crux Domini mei. Deinde ad hominem istum gentilem conversus, hoc modo verba facerem: dic mihi Pagane, si viri duodecim rei militaris imperiti, non solum armis destituti, sed etiam viribus corporis infirmi irruissent in copiosissimam, & densissimam armatorum militum manum, à qua innumerabilibus quidem telis appetiti, non modò nullis vulneribus acceptis illæsi abijssent, sed etiam totum exercitum delevissent, non vi armorum, sed nudis manibus usi; abscriberes ne illa stragem viribus *humanis?* Sed Apostolorum victoria est illa longè admirabilior. Nam quod homines plebeij, *ignobiles*, indocti, & piscatores in navi educati tantam eloquentiæ, & sapiētiæ mundan*æ vim* prostraverint; tot Demosthenes, Tullios, Platones, Xenophontes, Theoprastos, Aristoteles; tot Oratores, & Philosophos, Reges, ac principes suâ simplicitate, & rusticitate superaverint; nec ab egestate, nec ab ea quæ animos mortalium præoccuparat consuetudine; neq; à tanta rerum quas præscribebant acerbitate; neq; à quotidianis cædibus, neq; ab eorum qui seducti erant multitudine, neq; ab

ab eorum qui seduxerant authoritate repulsi fuerint; est multò majori admiratione dignum, & magis præter opinionē, quàm paucos mortales nudos ab innumerabili grassatorum copia non esse sauciatos. Hic Pagano, ecclesiastici mucronis splendorem non ferenti, & fulgore apostolicæ victoriæ obstupefacto, tempus darem ad recolligendos spiritus; & Judæo interim de Circumcisione glorianti aurem vellerē dicendo: Tun' ex eo superbis, quod non audes ostendere? Signum veteris Testamenti, Circumcisio in latenti carne: Signum Novi Testamenti, Crux in libera fronte. Ibi enim mysteria nostræ fidei involucris teguntur, & velis quibusdam obtenduntur; hîc explicantur, & manifestantur. Illud est sub operimento, hoc in facie. Circumcisio, inquis, signum est fidei, Abrahæ fidelium parenti à Deo præceptum. Fateor: sed occultationis signū esse, hoc tu quoq; fateri debes. *Quamdiu enim legitur Moyses, velamen super cor Judæorum positum est.* 2.cor.v.15.16. Quare? Quia non confugerunt ad Christum: quo agnito & recepto auferetur omne velamen, profligata cæcitate: ut qui habebas in abscondito circumcisiionem, in fronte portes crucem. Nam in eo signo Christum esse præfiguratum,

tum,& prenuntiatum quis dubitet? Inde cultellus petrinus: *petra autem erat Christus* 1. cor. 10.v.4. Transi ergo ad Christum, tu qui fastu extolleris propter circumcisionem. Transi ab occulto in manifestū, ut incipiat esse in fronte, quod latebat in veste. Ita breviter philosophari possem cū Iudæo, ut judaizare desineret Sed de utilitate sacri hujus signi cōtra Dæmones, spectra, Magorum vim, & prodigia terribilia, consule Gregorium Nazianzenū Orat. I. in Iulianū: ubi illustrem, & memorabilem historiam videbis, ex qua disces blasphemam Puritanorum, siue Hugonottorum impudentiam jugulare, qui signum dominicæ Crucis non solum fastidiosè spernunt, sed etiam acerbè proscribunt tanquam luctuosum, & valde detestandum! qui vulgato & populari jam inter eos argumento, proh nefas! nos rogant, num in familiæ nostræ insignia adoptari vellemus patibulum, si in eo parens noster, aut avus expirasset? Refert antiquus ille & sanctus pater, Apostatam Imperatorē magicis artibus deditum secessisse in loca subterranea, sedes remotas, & latebrosas, cum veneficis ductoribus, ut sacrificia ibi perpetrarent tenebris digna. Illic inter formidabiles umbras, diabolicos tumultus, tetros odores, ignea

ignea spectra, & nescio quæ monstra horrenda situm, cum prodigiorum novitate terreretur, memorem adhuc Christianæ, quam nuper deseruerat, disciplinæ, ad CRUCEM, *vetusq; remedium* confugisse, eoq; signo contra terrores sese munivisse. At quæ sequuntur magis sunt tremenda: Valuit signaculum, cedunt dæmões, pelluntur timores. Ita Iulianus quamquam non amplius Christianus, circumstantiũ spectrorũ horribili tumultu territus, Christianorum usus est medicina, quã in Ecclesia ante didicerat apprimè valere contra spiritualia, & corporalia mala. Ex hoc clarissimo Apostatæ exemplo probè animaduertis dæmones ad signum dominicæ crucis tremere, & fugere: illosq; nomine tenus Christianos diabolis esse pejores, duriores & infideliores, qui hoc non credunt, & illud derident; *quod nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, quâ regenerantur, sive oleo, quo crismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. August. Tract. 118. in Ioan. Non ergo auferet hanc à nobis hæreditatẽ superbi Calvinistæ, inimici crucis Christi: *cujus signo Ecclesiæ filij adornamur, cujus scuto contegimur: cujus figurâ, & charactere consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons* baptis-

baptismatis, frons regenerationis; baptizati per manus impositionem dona gratiarum accipiunt, Basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur, sacerdotes & Levitæ ad sacros ordines promoventur. Cuius virtute omnia Ecclesiastica Sacramenta perficiuntur: Imò omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo dominicæ Crucis, cum invocatione CHRISTI nominis consecrantur. Nam & ipsa crux magnum in se mysterium continet, cujus positio talis est, ut superior pars cœlos petat, inferior terræ inhæreat, fixa in infernorum ima contingat; latitudo autem eius partes mundi appetat, Aug. Serm. 19. de sanctis. Hom. 181. de tempore. Nunc debellatis superbis illis hæreticis, qui signum Novi Testamenti Crucem, in libera fronte non ferunt, nec ferre volunt: redibo ad philosophum prophanum, hominé gentilem, ecclesiasticis armis imparem, qui humi serpit, & manum meam poscit, ut ipse manum det Ecclesiæ. Sed invocabo prius Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, Dominum & vivificantem, qui ex patre filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per prophetas, ut idololatras à servitute Dæmoniorum

niorum liberet, jacentes in fordibus Paganifmi, luto inferni impeditos expediat, & ad veri Dei cultum erigat: hæreticorum filios, Corvorum pullos carnivoros, ab efu cadaverum, ad ecclefiafticas dapes revocet, & ad arcam reducet, id eft, Ecclefiam, ex qua parentes illorum corvi avolarunt: Judæos à litera occidente, ad fpiritum vivificantem avocet: Mahometanos à mendacijs, & fabulis Alcorani, ad lucem & veritatem Evangelicã, quæ fupra montem pofita eft. Orabo paucis: *Veni Sancte Spiritus, inftrue corda infidelium, & tui amoris ignem in eis accende, qui per diverfitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregafti.* Ex hac Ecclefiaftica prece, quâ imploratur auxilium Spiritus Sancti, Ethnicorum, Judæorum, & hæreticorum curiofitati fatisfacere, illorumq; errores ftrangulare conabor. Quærit Ethnicus palpitans, & furgere parans, quare credo Evangelio? Refpondeo: quia video *gentes per diverfitatem linguarum cunctarum in unitate fidei congregatas.* Et hoc eft quod dicit Auguftinus: *Non crederem Evangelio, nifi me Ecclefia Catholica commoveret authoritas.* Hæbræo ex me percontanti quare fim Ecclefiæ filius, credens Evangelio? refpondeo: quia quod prædictum eft in vereri Te-

ri Testamento, impletum est in novo. Habemus verba Domini pro Ecclesia Catholica, per totum orbem terrarum sparsa. *Dominus*, inquit, *dixit ad me: filius meus es tu, hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* Psal. 2. v. 7. 8. Audiat Hebræus aliud ex sanctis tabulis testimonium, de Domino Christo *in figura Salomonis. Dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terræ. Coram illo decident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent. Reges Arabum, & Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient illi.* Psal. 71. 3. 9. Hæc cùm prædicerentur, credebantur: postquàm impleta sunt, negantur.

ô curvæ in terris animæ, & cælestium inanes!

Quærit Lutheranus quare relictâ Ecclesia Sueticâ, elegerim Romanam? quia hæc habet *gentes in unitate fidei congregatas per diversitatem linguarum cunctarum*: illa, non: quia hæc tenet omnes linguas: illa, paucissimas; quæ remanserunt in parte Lutheri, ne videretur habere dæmonium mutum. quia hæc habet innumerabiles Reges & principes, sui cultores: illa, non nisi paucos, unius tantum familiæ,

miliæ, heri natos; ex quorum anteceſſoribus, quotquot fuerunt Chriſtiani, tot fuerunt in Suecia Reges, Eccleſiæ Romanæ filij. *Interrogent GVSTAVUS avus, & GVSTAVUS nepos, generationem regum Sueciæ priſtinam, & diligenter inveſtigent patrum memoriam (quippe noſtri GVSTAVI heſterni ſunt, & ignorant) & antiqui docebunt novitios, loquentur illis, & de corde ſuo proferent eloquia.* Iob. 10. Quid quæris? novitia iſta Lutheri hæreſis non amplius ad meum palatum, mores & viros antiquos amo. Quid murmuras? Catholicus ſum, ubicunque ſum, non placent nova, quæ pugnant cum veteribus. Quid ringeris? deſertor, inquis, patriæ! Falſum eſt: non ego patriam deſerui, ſed patria me. Cui iraſceris? Parentum, inquis, ſuorũ oſori. Quomodo ego odio habere poſſũ parentes meos, qui jubeor diligere inimicos meos? amo genitorem, ſed Creatorem illi præpono. Quieſce, inquis, deſertor, ſile, tace. Non tacebo, ſed reſpondebo ſtultis, ſecundum illorum ſtultitiam, ut videantur ſoli deſipere. Quem deſerui, baſilice proclamator? Potes tu audire veritatem, quò minus odium pariat? Ego hactẽus tacere nequivi, quod dicto, & ſcripto opus fuit. Deſcripſi enim tibi in

Anglia præpostera, incondita & monstrosa Lutheri verba, quibus Ecclesiam Catholicam blasphemat, Ecclesiasticos ludificat, Conciliorum, & Patrum authoritatem tollit, sacros libros proscribit, Joviniani & Vigilantij hæresim reducit, sanctorum pietatem irridet, crucis majestatem pessundat, bonorum operum necessitatem conculcat: & multa alia, quæ non est hîc repetendi locus, vt videres qualis & quantus sit ille Sannio, saltuum vestrorum ductor, cum quo *nemo saltat sobrius*. Et tu adhuc miraris me deseruisse corvum illum arcæ desertorem, Ecclesiæ Catholicæ blasphematorem, matris suæ lenonem? Corvus de arca dimissus non redijt, cadaverorum carnibus impeditus. Gen. 8. Lutherus pedem ex Ecclesia Catholica elatum, non retulit, *sinu Catharinæ exceptus*, in quo maluit delitescere, quàm ad gremium Ecclesiæ se recipere. Avolavit Corvus amissâ voluntate redeundi: sed liceat mihi pullo corvi ad arcam redire, quam fera bestia deseruit. Æquum postulo, da veniam: *& dabit Dominus escam pullis corvorum invocantibus eum*. Psal. 146. Quos præterea deserui? *Osiandrinos, Majoristas, Flacceanos, Synergistas*, *Ubiquetarios*, *Substantiarios*, *Accidentarios*: quos nisi deseruissem, non invenissem

ſem *Ambroſios, Auguſtinos, Cyprianos, Hilarios, Hieronymos, Gregorios Magnos; Benedictos, Bernhardos, Dominicos, Franciſcos, Athanaſios, Baſilios, Chryſoſtomos, Cyrillos, Nazianzenos.* In quos veſter Sannio auſus eſt Satyram ſcribere, tanquam nullius pretij Doctores, ignorantes ſcilicet quid ſit diſcriminis inter ſpiritum vivificantem, & literã occidentem; ut ad oculum demonſtravi verbis ipſius authoris, & literis ex Anglia ad te miſſis. Lutherus Patres Eccleſiæ *ne pili quidem fecit:* fuerunt enim *plerique Monachi*; ſed non fugitivi ut ille. *quorum ſcripta quò magis legit, eò magis offendebatur.* Lutherani nonnulli ne fides Lutheri videatur nova, & ſuſpecta habeatur ejus interpretatio, ad Patres provocant. Lutherus clarè & apertè fatetur *ſe diſſentire à primitiva Eccleſia, & omnibus ejus Doctoribus, viris ſanctiſsimis.* Tom. 5. ad Gal. c. 1. fol. 290. Lutherani hoc negant; ſcio: ſed quo ore, qua fronte, quo calamo? neſcio. Quibus nunc credendum? Præceptori affirmanti, an diſcipulis negantibus? corvo crocitanti, an pullis invocantibus eum? Minervæ in adulterio depræhenſæ, an ſoboli ex tam ſancto congreſſu genitæ? reſtim ductitanti, an caudæ; quam ille ſaltans trahit in odorem unguentorũ ſuorum? Hìc tu cla-

 mas

tistarum greges; tot Hugonottorum, Puritanorum, & Brunistarũ copiæ? Unde, nisi quod Scripturas legant, sed non intelligant. *Omnes enim hæretici, qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnant, sed quod non intelligant, hæretici sunt.* S August. Ep. 221. ad conf. Sed tu qui hæc vides, & non credis, crede tuo Luthero. Quodam tempore (ut refert Aurifaber in Colloquijs mensalibus) Lutherus ea de re sermonem habebat, quod Dei verbum inexhaustũ, & inscrutabile esset, *dicebatq; unum verbũ in divinis literis penitus perscrutari, & profundè indagare impossibile est; qua in re ausim provocare omnes Doctores, & Theologos. Ego quanquam senio jam confectus sacrarum literarũ doctor sum, nondũ tamẽ ex doctrina puerorũ evasi, & decẽ præcepta, Symbolũ Apostolorũ, atq; Dominicam orationẽ nondũ bene intelligo.* Iterũ paulo post, ut idẽ Aurifaber scribit, *quod Scriptura difficilis sit ad intelligendũ, ea de re Doctor Martinus Lutherus anno 1546. cum Islebij esset, & biduo ante mortem, hæc verba latinè in chartam scripsit, quam in mensa sua reliquit. I. Virgilium in Bucolicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis pastor. Virgilium in Georgicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis Agricola. II.*

Cicero.

Ciceronem in Epistolis, nemo rectè intelligit, nisi viginti annis sit versatus in Reipub. aliqua insigni. III. Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, ut Elia, Eliseo, Ioanne Baptista, Christo & Apostolis Ecclesias gubernarit. Hanc tu ne divinam Æneida tenta: sed vestigia protinus adora. wir sind Bettler / *id est, nos sumus mendici. Hoc est verum* 16. Febr. Anno 1546. Si Luthero credis, nullus est homo in terra, qui verũ Legis & Evangelij discrimen constituere novit. *Ego, inquit, existimaveram me posse, quia tanto tempore, tamq́ multa ea de re scripsi: Verum quando ad causæ punctum veniendum est, video me longè longe à scopo abesse.* coll. mens. Germ. fol 154. Item cum quidam Luthero præsente conquereretur se Legem ab Evangelio discernere non posse, respondit: *Si tu hoc posses, esses merito Doctor, & surgens caput aperuit, additis his verbis: cum hoc potes, tum ego dicam ad te, Charissime Domine Doctor, tu es doctus: Paulus & ego nunquam eò pervenire potuimus.* colloq. mens. fol. 159. Rideo hunc, primum ait se scire, is solus nescit omnia. Scitum hercle hominem, facit intelligendo, ut nihil intelligat. Nunc tu qui Lutheranus es, & contra Lutheri doctrinam aude nobis persuadere, Sacram Scri-

pturam

pturam esse intellectu facilem. Dic mihi in quo tandem Religionis capite congruunt Ecclesiæ, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? *A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperies ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet?* Beza epist. 1. Theolog ad Andream Duditium. Quid ergo promovebis exercitatissime scripturarũ; cum si quid defenderis, negetur; si negaveris, defendetur? & tu quidem nihil perdis nisi vocem in contentione, nihil lucraris nisi bilem de blasphematione? Scriptura, inquis, lux est. Fateor: sed per Ecclesiæ, sed per sanctorum Patrum, sed per Conciliorum, sed per Doctorum interpretationem, caligine ejus dissipatâ. ô infelices Lutherani! quid Ecclesiã fugitis? sine qua per scripturas non itur, sed erratur. Frustra nitimini sequi scripturas, si Ecclesiam sequi renuitis. Vestrum sensum, vestra commenta, vestra somnia, spreto Ecclesiæ Catholicæ sensu, sequimini, non Scripturas. Nullus unquam fuit hæreticus tam stupidus, quin sui capitis somnia, & opinionem in suo cerebro natam, pro sancti spiritus instinctu haberi voluerit. Hæretici nihil nisi verbum Dei crepant: Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Puritani, Brunistæ omnibus suis figmentis lar-

larvam verbi Dei audacter induunt. qui tamen omnes volunt videri Ecclesiæ Catholicæ reformatores, sed singuli suo modo dicentes.

Hâc non successit, alia aggrediamur via. Epiphanius videns Arrianos in tres stationes, ac turmas divisos: Omnium, inquit, hæresum, id vitus proprium est, ut inter se discordes in varia schismata divulsæ, atque dilaceratæ sint, deinde ut mutuo odio, atque bello se tandem consumant. Lutherus in Psalmum quintum ita scripsit: *Regnum in se ipsum divisum desolatur. Neque enim ulli unquam hæretici victi sunt vi, aut astu, sed dissentione. Nec aliter cum ipsis pugnat Christus, quam misso inter eos spiritu vertiginis, & dissensionis sicut inter Sichimitas; inter Babylonicæ turris operarios: & in Novo Testamento inter Novatianos, Sabellianos, Samosatenos, Arianos, Donatistas, Photinianos, Macedonianos, Pelagianos, Nestorianos &c. Sed & Judæi novissima vastitate perierunt dissensione; ita ut Hilarius sanctus vir glorietur in lib. de Sanct. Trinitate, Bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ. Ad dissensionem illorum sequitur & corporalis eorum dispersio.* Hanc sententiam tulit Lutherus contra semetipsum, & omnes nostri seculi hæreticos, atque Sectarios. Sed unde

unde vos Lutherani Scripturas habetis, quas legitis, & non intelligitis? unde scitis in veteris & Novi Testamenti libris contineri verbũ Dei? Respondeat Pater deformatæ Ecclesiæ Lutherus pro suis filijs, quia vos estis hesterni & ignoratis. *Nos*, inquit, *Lutherani COGIMVR hoc Papistis largiri, & concedere, quod verum est, in Papatu scilicet esse Dei verbum, & Apostolatum, nosq; sacram scripturam ab ipsis sumpsisse, alioquin quid nos de illa sciremus?* in comment. Ioan. 16. Tom. 4. Ger. VVittemb. fol. 227. & Tom. 7. Ien. fol. 169. Fateatur adhuc, quod fatendũ est. *Nos fatemur, in Papatu multa esse bona Christiana, imò omne bonum Christianum, atque inde etiam ad nos* Lutheranos *profluxisse. Nempe fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verũ Catechismum: imò dico in Papatu verã esse Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis, multosq; magnos Sanctos.* Tom. 2. Germ. VVittemb. fol. 279. 6. & Tom. 4. Germ. Ienensi fol. 320. ita habes ex Testimonio tui Lutheri sacrã scripturam esse non claram sed obscuram, non facilem, sed intellectu difficilem: habes credendũ esse Papistis illius custodibus, & interpretibus, vosque nescire quid sit verbum Dei, nisi eru-

ditos

ditos ab illis. habes quod in Papatu omnia sint ad salutem consequendam necessaria, *primùm sacrum baptisma, deinde textus sacri Evangelij in cujusq; nationis idiomate de suggestu recitari solitus: tertiò sacra pecatorum remißio, & absolutio, tam privatim in confeßione, quàm publicè: quartò sanctißimum Altaris Sacramentũ tempore Paschali, atq; etiam alijs anni temporibus distribui Christianis solitum, tametsi altera specie subrepta: quinto vocatio sive ordinatio ad officium Parochi, prædicatoris, sive animarum Curatoris ad ligandum, & solvendum peccata, & ad homines cum alias, tum in agone mortis confortandos. Multi namq; morem hunc retinent, animam agentibus ostensâ Crucifixi imagine memoriam paßionis Christi renovandi, ut in Christi morte fiduciam OMNEM sibi collocandam intelligerent. Postremò, oratio Dominica, Psalterium, symbolum fidei, decalogus, Cantiones insignes tam Germanicæ quàm Latinæ. vbi ergo ejusmodi capita remanserunt, ibi certißme etiam Ecclesia, & aliquot Sancti manserunt.* anno 1523. in libro de Missa privata Tomo 6. Germ. fol. 92. Habes ex confessione Lutheri veram & sanctam esse sub Papatu Ecclesiam: qui in disputatione Lipsiensi fidem facit nunquam sibi placuisse, nec in æternum placiturum ullum schisma: qui Bohemos authoritate propriâ ab unitate Eccle-

Ecclesiæ Romanæ separatos graviter accusat; qui illorum divortium nulla excusatione defendi posse clamitat: qui ad lectorem de rebus gestis Augustæ protestatur, se colere, & sequi Romanam Ecclesiam in omnibus. Tu tamen audes hanc sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam vocare *Apostaticam & adulteram.* Quid te juvat cultus pater, nullis convitijs, nullis maledictis lacessitus, qui injuriam, ignominiamq; matris inultam, impunitamq; nõ dimittit? Quid te juvat Deum patrem ore confiteri, labijs honorare, filium ejus laudare, sedentem ad dextram patris celebrare, qui blasphemas Ecclesiam ejus? Patiaris te corrigi exemplis humani conjugij. Finge te servire alicui Heroi, magno tuo patrono ita liberaliter, ut nihil supra: de quo magnificè semper & sentias, & loquaris tibi charissimo, adictissimo, gratissimo. Si semel tantum ejus conjugi malediceres, nonne patroni tui conspectum fugeres, latebras quæreres. *Audi fili mi, disciplinam patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ.* Prov. 1. Veni ergo & tene mecum hæreditatem *à mari usq; ad mare, & à flumine*, scilicet Jordane, vbi cœptum est Christi magisteriũ, *usq; ad terminos orbis terræ.* Relinque corvum arcæ desertorem, & veni

ad

ad Catholicam Ecclesiam, quæ habet omnes gentes per diversitatem linguarũ cunctarũ in unitate fidei congregatas. Agnosce me fratrẽ, & ego agnoscã te fratrem. Sed sublato schismate, extinctâ hæresi, jugulato errore. Hæc profligentur, & meus es. Cur non vis esse meus? Ego si desinas esse hæreticus, volo esse tuus. Valeat Lutherus, valeat Zvinglius, valeat Caluinus: & vivant Patres Ecclesiæ Catholicæ, restitutores sanitatis meæ. Tu hæresi morere, ut vivas Caholicæ fidei; & ambo simus ejus, qui Dominus est, & meus, & tuus. Lutetiæ prid. Cal. Decemb. M. DC. XXVI.

EPISTOLA XLVIII. *Andegavum.*

TURONI BIELCKE, *Baroni Sueco, Avorum, & Proavorum titulis clariss. S.*

NEc lectioni tantum incumbere, nec stylum tantum exercere debemus; quippe continuatio pertinacis lectionis animi robur solvit, ac diluit: frequens, aut continuatus stylus tristiciã adducit, mœsticiam animo affricat, vires exhaurit. Utrumque tamen faciendum; & legendum, & scribendũ est, sed unum post alterum. Lectionem stylus subsequatur, ut quicquid eã coacervatũ fuerit

fuerit, hoc artifice, & architecto in structuram abeat, & in corpus redigatur. Apum (ut ajunt) imitatores esse debemus; quæ sursum deorsum, huc illuc, ultrò citroq; volitant, & flores melli faciundo aptos examinant, carpunt, sugunt: deinde quicquid collegêre, in ordinem distribuunt, ac per favos digerunt: & ut Virgilij verbis utar,

— Liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Sed ut rem ipsam tangam; multa sunt in prima tua ad me epistola delata; philosophico examine digna, quæ nunc primùm sub acumen styli veniunt; quia prius à meis occupationibus tantum otij impetrare non potui, ut tecum philosopharer. Utrum satius sit modicos habere affectus, an nullos, inter philosophantes sæpe quæritur; & adhuc sub judice lis est. Stoici obviam illis eunt, fores occludunt, & tanquã hostes in fugam versos longum valere jubent. Peripatetici, philosophi humaniores, hospitio illos excipiunt, domicilo juvant: sed contumaciam eorum verberant, & modum illis præscribunt. Stoicis, modicus affectus nihil aliud videtur quàm modicum malum: qui hebetudinem suam ingenuè fatentur in eo, quod

capere nequeant, quo pacto salutifera, aut ft uctifera esse possit ulla mediocritas morbi. Quid si sanum voces, inquiunt, leviter febricitantem? non est bona valetudo mediocris morbus. Quid discriminis sit inter morbos animi, & affectus; Stoici in sua philosophia liberaliter dicunt: sed an recte dicant, tuum esto judicium; ego illorum sententiã hîc prodam. Morbi sunt vitia mentis humanæ inveterata, dura, & pertinaciter adhærentia: ut avaritia, ut ambitio nimia, ut crudelitas, ut impotentia, ut impietas &c. quæ postquam animum expugnaverunt, & occuparunt, jus habitandi prætendunt; excludi nolunt. Ut breviter finiam, & in pauca conferam; morbus est judicium in errore obstinatum, in pravo contumax, in malo pertinax: tanquam vehementer concupiscenda, quæ parum appetibilia sunt. Vel si mavis, ita finiamus; nimis cupere obiter tangenda, & vix primis labris degustanda, aut in magno pretio habere, quæ exigui, vel nullius sunt pretij. Affectus verò sunt motus animi contemptibiles, improbabiles, subiti & concitati: qui frequenter pro ludibrio, ac delectamento habiti induxère morbû: sicut distillatio una, nec adhuc in consuetudinem perducta tussim creat;

ereat; assidua & vetus phtisin. Verùm enim-
verò, ut scias quemadmodum initiũ sumant
affectus, aut incrementum capiant, aut foras
elati patefaciant se; primus ille motus invo-
luntarius est, non spontaneus, quasi prælu-
dium, præambulum, præparatio, & quædam
comminatio affectus. Alter cum volunta-
te, sed non obstinatã, neq; inflexibili; tan-
quam fas sit ulcisci malè de se meritum, vin-
dicare injuriam illatam, aut oporteat hunc
pænam subire propter scelus admissum. Ter-
tius motus est jam impotens, feror, & adver-
sus omne remedium contumax, qui rationis
imperium non audit, & cum causam punien-
di habet, modum non habet. Primum illum
animi ictum ratione vitare non possumus: si-
cut nec illa quæ corporibus usu venire solent,
ne oscitatio aliena os nostrũ diducat, ne hor-
reamus frigidâ aspersi, ne ad tristes rumores
& mala nova erigantur capilli, ne sanguis ad
improba verba faciem tingat. Alter ille affe-
ctuum motus, qui judicio gignitur, judicio
fugatur. Omnis enim affectus initio parum
valet, sed progrediendo ipse se inflamat, & vi-
res eundo sumit. Principio facilius obstamus
quàm impetum regimus. Verùm ut à diver-
ticulo repetatur non fabula, sed philosopho-

rum contentio. Stoici affectus non admittunt, obliti se esse homines, & humanis obnoxios: Peripatetici illos sponte sese ingerentes excipiunt, & modestè se gerentibus amici sunt. Hi amant res amabiles, odio habent odibiles; timent timenda, sperant speranda; flent flenda, rident ridenda; irascuntur Stoicis malè de se meritis, sed parati sunt veniam dare veniam petentibus.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Vale & mediocritatem ama; in medio tutissimus ibis, & diu durabis. Lutetiæ 12. Cal. Octob. M. DC. XXVII.

EPISTOLA XLIX. *Andegavum.*
JOANNI HALENO *Iurisconsulto, Sueco, Peregrinationibus nobilissimo.* S.

LOngo annorum curriculo opus est, ut illam laudem mereamur, quæ magnam deinde alienis auribus molestiam creat, *ô virum literatum!* simus hoc titulo ignobiliore contēti; *ô virum bonum.* Id nempe vult ille opifex, ædificatorq; mundi Deus, qui nobis vitam ad rectam rationis normam dirigit, ut humani, & mansueti animi officia obeamus probè, sanctè, piè. Neq; alio fine homo suavissimam hanc lucem aspicit, nisi ut Deo serviat,

&

& hominibus, si fieri potest multis: si minus paucis: si minus, proximis: si minus, sibi. Nam qui sibi amicus est, scito hunc omnibus amicũ esse, publico inservire bono, & comune agere negotium. Quemadmodũ qui ab illa, cui nascitur, bonitate degenerat, non sibi tantũmodo deest, sed etiam omnibus ijs, quibus frugi institutus cõmodare potuisset: sic si quis bonas horas bene collocat, hoc ipso de alijs bene meretur, quod illis amicum profuturũ parat. Unde non miror te statim in frontispicio tuarũ ad me literarũ rectè interpretari me aliorũ cõmodis promovendis natũ esse. quippe hoc à me, quod ab alijs jure naturali exigitur, ut prosim hominibus. Homo enim sum, & humanitatis cultor, atq; observator esse volo, quãdiu inter homines ero. Et si tandẽ ꝑ meo modulo in publicũ contulero, quæ mihi Deus cõcessit, nõ despero quin aliquis etiã ad Ecclesiã Christi in his terris militantẽ fructus rediturus sit: quãdoquidẽ & in structuris majoribus, nõ ingentibus tantũ saxis locus esse solet, sed exigui quoq; lateres, imò laterum fragmenta cõquiruntur interdũ ad complendas cõmissuras, ne totius operis compages defectu minutarũ partium labet. Sed si tibi quid feci, aut facio, quod placet humanitati tuæ, & id

gra-

gratum fuisse advorsum te, habeo gratiam, & gratias tuas amplector ab optima mente profectas. Mercatori Ferino, literas ad ipsum datas rectè tradidi: qui quamvis nihil adhuc supplementi habeat nummarij, quo vos beet: pollicitus tamen erat, se hoc vobis epistolâ significaturum. Mittebam hodie mane quendam ex nostris domesticis, qui ejus responsum calamo signatum ad se reciperet; sed iste pollicitis dives, ad scribendum piger, jussit mihi per suum vicarium renuntiari, non opus esse duorum hominũ labore, ubi una manus sufficit. Voluit compendio dicere, quod significari potest à me solo, id non requirere duplicatam scriptionem, vestro marsupio molestam futuram. Quicquid sit, nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget. Non dedisse aliquid ad vos literarum Ferinum pudet: me, quia nihil accepi, piget. Conabor blandis verbis hominem eò perducere, ut sequenti septimanâ promissi memor debitum vobis solvat. Interea valete, & sperate vos oportunè inuenturos auxilium argentarium. Lutetiæ 7. Cal. Oct. M. DC. XXVII.

EPISTOLA L. *Andegavum.*

JOANNI HALENO, *Sueco, Iurisconsulto, Orbis lustratori.* S.

PRomiseras mihi syncerum tuum, & sine labe candidum de Academico Upsaliensi judicium, quod nondum accepi, sed expecto. Interea dum me suspensum tenes, & bonâ spe lactas, priores tuas literas sub incudem mei examinis hîc revocabo, & jurisdictionem meam exercebo. *Honorem*, inquis, *non ambio, quia non mereor: divitias non appeto, quia non novi artem, & quæ ducit ad eas viam.* Si vis Cœlestes divitias tibi comparare, non pecunia augenda, sed minuenda, & in pios usus convertenda, cupiditate ejus castigatâ. Brevissima ad veras divitias per contemptum falsarum divitiarũ via est. Magnus est ille qui in bonis fortunę pauper est: sed securior qui illis caret. ô paupertas quàm ignotum bonum es, etiam paupertatis professoribus. Si ergo vis ex præcepto Christi philosophari, & cœlestia meditari, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest quis operam dare salutaribus studijs, ijsq; mentem excolere sine amore frugalitatis, quæ paupertas est voluntaria. Multis ad verè philosophandũ impedimento fuêre divitiæ: religiosa paupertas

cur-

curriculo percurrit ad divinas dapes. Theodosij senioris, ac in primis filij ejus Honorij temporibus, vixit *Paulinus Aquitanicus*: qui cum dignitatis Senatoriæ foret, divenditis suis, uxore etiam adhortante Nolam concessit, ut ibi Christianæ magis religioni vacaret. Qua de re B. Ambrosius lib. 6. Epist. 1. ad Sabinum: *Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quam etiam conjugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoq; valedicat, quò impensius DEO serviat. Elegisse autem secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans ævum exigat. Matrona quoq; virtuti, & studio ejus proxime accedit; neq; à proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædijs virum sequitur, & exiguo illic conjugis contenta cespite, solatur se religionis, & charitatis divitijs. Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc ubi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tantâ prædi-tum eloquentiâ migrasse è senatu?* Sed quid de Religiosa, ac Monastica vita censendum sit,

con-

confule Auguftinum Lib. de Morib. Ecclesiæ Cathol. cap. XXXI. ubi Monachos vocat *perfectos Christianos*; ubi eorum instituta, ac vitam laudibus in cœlum attollit; ubi non alio nomine magis gloriatur, quàm quod suo ævo *eorum multitudo per totum orbem in dies magis magisq́, diffunderetur*. Mitte malè loqui cum hæreticis, atq; rem ipsam potuis dic. In utra parte credas diligentius observari quod docuit CHRISTUS (Matth. XIX. v. 21.) *Si vis esse perfectus, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo, deinde veni, & sequere me.* Item quod docuit (Lucæ XVIII.) *quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Trithemius anno 1500. in solo Benedictinorum Ordine numeravit Monasteria 15000, & ampliùs, quæ habuerunt Abbatias: & Volateranus suo tempore numeravit 24. Pontfices ex hoc Ordine, Cardinales 200, Archiepiscopopos 1600, Episcopos 4000, Abbates scriptis celebres 15700, sanctos Canonizatos 15600. Vides quid, & quantum sit boni in ordine S. Benedicti? quot in illa Religione sunt Monachi, tot sunt Eunuchi *propter Regnū Cœlorum castrati.* Quid sentis de cæterorū Ordinum Religiosis? quid censes *de Ordine Eremitarum, Camaldulensium, Carthusianorum, Cistercienſiū, Canonicorum*

Regu-

Regularium, Præmonstratensium, Carmelitarum, Cruciferorum, Minorum; redemptionis Captivorum, Franciscanorum, Dominicanorum, Sanctimonialium S. Claræ, Eremitarum S. Augustini, Sylvestrianorum, Cœlestinorum, Minorum, Clericorum Regularium, Capucinorum, &c. Quid censes de Ordine Societatis IESV, qui habet plusquàm 3000. collegia, in quibus quot sunt sacerdotes, tot sunt hæreticorum debellatores. Anno 1599. quidam numerarunt per Orbem Christianam 225044. monasteria, quorum Religiosi incolæ pompis, fastui, seculi curis unum Christum præferunt. Plus quadringentis Monachorum, ac Religiosorum millibus, apud nos est, quorum plerisq; in more est, media nocte *surgere ad confitendum Domino, in sacco & cilicio* pænitentiam agere, macerari jejuniis, victimâ quotidie incruentâ Deum Patrem propitiare mortalibus. In hoc cælesti, & Angelico exercitu, quot putas esse Paulinos, *non Stregnenses*, sed Aquitanicos; qui migrarunt ex senatu in desertum, ut Deo impensiùs serviant, & synceriùs fruantur. Mitte nugas, aufer cavillationes, dic seriò, in qua parte Regni Sueciæ vivunt illi *perfecti Christiani*, qui abdicatis mundi curis secesserunt ad vitam Religiosam, monasticam, eremiticam? quam prisci

Patres

Patres ita celebrant, ita commendant concilia, ut vel hoc ipso certum sit ab illorum conciliorum, Patrumq; sententia deflexisse Sectarios. Dic Evangelice; ubi sunt inter vos illi *perfecti Evangelici*, qui cum Petro dicere possunt: *Ecce reliquimus omnia?* Ubi sunt inter vos illi imortalitatis candidati; *qui reliquerunt domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut conjugem, aut liberos pro nomine* Iesu? Ubi sunt illi Religiosi pauperes, qui sciunt perfectum Christianû tam bene culmo, quàm auro tegi? Ubi sunt illi Monachi, qui duriùs tractant corpus, ne animo malè pateat; qui vim regno Dei inferunt, bonis operibus cœli claustra frangentes? Fuerunt ante centum annos in Succia, Norvegia, Dania sanctissimi & fortissimi illi milites; sed propter vim illatam regno Cœlesti *filij lucis vim passi sunt à filijs hujus seculi.* ô prudentiam Evangelicam Evangelij hostibus dignam! *Muli & Asini, in quibus non est intellectus*, reformationem agressi sunt à Monasteriorum eversione. ô sanctitatis eversores! Quot Monasteria solo æquarunt, tot pietatis scholas, & castitatis sedes sustulerunt. ô sacrilegos Ecclesiæ Catholicæ prædatores! Quot Monachos fugarunt, tot vota, tot preces gloriæ Dei subtraxerunt;

tot

tot ad veram Dei cultum exemplis & monitis populum fraudarunt, tot sanctitatis vestigia deleverunt. ô impuros Evangelicos, Evangelicę puritatis osores! Lutherus rogatus quid ad Ecclesiæ reformationem attulisset? ad-modum Cynicè respondit, ὄρχεις id est; testes. Ne veniret solus ex Monasterio pater-culus attulit secũ duos nequitiæ suæ testes. Deinde cum admoneretur pauper-culus, tam paucos Lutheranos non posse resistere tam multis Catholicis, Laconicè, & Cynicè iterum respondit, salvis testiculis non defuturam sibi fœcundam conjugem, nec liberis cariturum. Extra jocum: Non potuit Catharinam suam Lutherus Uxorem habere, nisi Religionem mutaret, ergon' impius fuit? At novam pietatem induxit. Non potuit in bello rustico omnes rusticos occidere, nisi illorum sanguinem funderet, quos trucidari jussit: (uti ipse fatetur in colloq. mens. fol. 250.) ergon' crudelis fuit? At ille Romanæ potestatis tyrañidẽ abolevit. Non potuit nuptijs Catharinæ frui, nisi voto castitatis renunciaret, & Monasticam sanctitatem desereret, ergon' incestum commisit? At libidinis turpitudinem velare matrimonio conatus est, ut discerent tandem Pontifices Romani maritalem voluptatem fugitivis Monachis

nachis non invidere. Sed quos liberos procreavit? *arrogantes, impudentes, insolentes.* Loquatur sua paternitas. *LIBEROS*, inquit; *è corpore meo GENITOS, Absalones meos ferre cogor; qui vehementissimè atq; acerrimè mihi resistunt, ac contradicunt. intellige Sacramentarios, præ quorũ furoribus Papistas mites, & modestos judico.* Tom.9.fol 234. Parturit Lutherus, nascuntur ridiculi Calvinistæ: *qui credunt unum Calvinum plus valere, quàm centum Augustinos.* Sed mea fide plus valet unus Augustinus, *quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini. Qui omnes si in mortario contũderentur, non exprimeretur una uncia vera Theologia.* Quales pediculi, tales lendes: quales parentes, tales filij; quales prisci hæretici; tales novitij; Lutherani & Calviniani &c. omnes, religiosæ vitæ jurati hostes: quibus insigne odium in Monachorum pietatem; insignis crudelitas (vide in Historia Ecclesiastica Socratẽ Lib. IV. cap. XVII. & XIX. Sozomenum lib. VI. cap. XX.) Nunc miseret me tui, qui in illa religione vivis, in qua nulli sunt, *perfecti Christiani*: nulli, qui suo exemplo mõstrant *relinquenda esse omnia propter Christũ*: nulli qui media nocte surgunt *ad cõfitendũ Domino*; nulli, qui pænitentiã agunt

agunt in facco & cilicio, pane & aqua, vigi-lijs, jejunijs, & lacrimis. Miseret me tui, qui lustrato orbe Catholico, in quo tot severæ pietatis exempla vidisti, adhuc in luto Luthe-ranorum hæres. Miseret me tui, qui absolutâ peregrinatione sacrâ, in qua, ipsa Christi Redemptoris vestigia oculis, manibus & pe-dibus usurpasti, nondum Lutherum reliqui-sti, sacræ tuæ peregrinationis irrisorem. Cui-dam quærenti, quod peregrinationes sibi nihil profuissent: Non immerito, inquit, Socrates tibi istud evenit. Tecum enim pe-regrinabaris.

Cælum non animum mutat, qui trans mare currit.

Sed si te non movent Religiosæ vitæ, Mona-sticæ, & Eremiticæ exempla, quæ nulla sunt inter vos; apud nos ubiq; ut scis obvia; mo-veat te saltem politicus, academicus, & mun-danus honor. Doleo vicem tuam, qui post tantam tot annorum operam Jurisprudentiæ navatam, in illa hæresi vivis, in qua non po-tes esse Juris utriusq; Doctor. Possum, inquis, & brevi ero in Academia Andegavensi, quæ me ex meis virtutibus exornabit, & illo titu-lo nobilitatum in Sueciam remittet. Potes quidem esse Jurisperitus, & revera es, fateor: sed nunquam eris Doctor, hoc est, nunquã in

regno

regno Suecię publicè vel privatim docebis
omnia, quę in utroq; jure didicisti. Audebisne
in Suecia docere *reddendum esse honorem Apo-*
stolicæ sedi; (*quod* Iustiniano *semper in voto, &*
more positum fuit?) Docebisn' Pontificem Ro-
manum *honorandum esse, ut decet patrem Impe-*
ratorum, Regum, Principum? Docebisn' Duces
Regni Sueciæ *unitatem apostolicæ sedis custodire,*
sine ulla contrarietate? Docebisn' Reges Suecię,
subjicere, & unire omnes suos sacerdotes sanctitati,
& beatitudini Pontificis Romani? Ita quidē didici-
sti ex codice *repetitæ prælectiōis, Tit. de summa Trin.*
Sed in his Doctor eris *magis mutus quàm piscis.*
Evolve diligenter Tit. sequētes, *de sacrosanctis*
Ecclesijs, de episcopis & clericis, de episcopali audien-
tia, de hæreticis & Manichæis, de Iudæis & Calico-
lis, de his qui ad ecclesias confugiunt; & invenies
multa, quæ Lutheranorum perfidiæ repu-
gnant. Sed heus, dic mihi fide Lutheranâ, quo
ore, quâ fronte tu vis aut esse, aut videri ju-
ris Canonici Doctor, quod Lutherus VVit-
tenbergæ cremavit. Scilicet illo igne sancto-
rum patrum canones, spiritu Dei conditos,
& totius mundi reverentiâ consecratos, &
dogmata, mandata, interdicta, sanctiones,
vel decreta pro Catholicæ fidei disciplina, pro
correctione fidelium, pro emendatione sce-

lerato-

leratorum, interdictione imminentium, vel futurorum malorum in concilijs salubriter promulgata aboleri arbitrabatur, expulsis insuper vitæ Religiosæ, Monasticæ, Eremiticæ professoribus, atque publicâ pœnitentiâ in exsilium actâ, *ne quid usquam honestum occurreret*. En tibi adhuc magniloquentiam bestiæ tonantis, fulgurantis, & fulminantis ex pulpito.

Vermahnung vnnd Wahrnung D. Martini Lutheri, an die Iuristen, auff dem Predigstul zu Wittenberg am 13. Febr. Anno 1543. geschehen.

NOch ist noch eines verhanden / davon ich Wahrnung thun muß / ich halte / daß alle Teuffel mit aller gewalt / verhanden seyn. Es vnterstehen sich vnsere Junckern die Iuristen das jus Canonicum, den Bäpstlichen Dreck / offentlich der Jugent zulesen / daß wir mit grösser Mühe vnd Arbeyt auß Vnser Kirche gestossen / verworffen vnnd verdampt haben / vnd daß

daß mit genugsamen Vrsachen bewiesen/daß es in Vnser Kirchen nicht zu dulden/vnd zu leyden sey. Sie aber mit stoltz/vnd vns zum verdruß wollen solchen stinckenden Dreck wider in Vnser Kirchen bringen. Ich will euch aber erstlichen vermahnet haben / versucht mich nicht zu hart / ist euch ja zu wohl: Ich will euch das Kutzelen vertreiben. Ich weiß besser/was jus Canonicum sey/ als ihr allzumahl lehrnen vnd erfahren werdet. Eselsfürtze seind es / wolt ihr gerne / ich will sie Euch auch woll zufressen geben. Darumb rathe ich / last den alten Hund schlaffen/vnd lasset Theologiam Theologiam bleiben. Vnd thut mir die Eselsfürtze auß der Kirchen / wo nicht / so must ihr: Ist doch inn gantzen Bäpstlichen vermaledeyten Vnrecht (Ich solle gesagt haben Recht) nicht anders dann eytel Eselsfürtze. Darinn man Euch nicht daß geringste pünctlein lehren / waß Glaub / Lieb / vnd Sacrament sey / vnd ihr wollet ewre Kunst darin beweisen / die gantze Kirchen zu schänden machen/vñ die arme Ju-

gent verseumen/euch selbst dazu/vñ vns damit zu trotzen. Ich wil euch wol lernẽ/ist der Teufel gar in euch / daß ihr nicht wisset / was ihr thun sollet. Ich meyne ja/ihr hettet gnugsam in den Käyserlichen Rechten zu studieren/vnd zu lesen / denn die Jugendt mit den Eselsfürtzen vorseumen/vnd verhindern. Ist das Jus Cæsareum, Imperatorium ein studium infinitum. Du soltest Gott dancken/daß du der Eselsfürtze loß werest/ wenn du wüstest/ was du vornemlichen thun soltest. Mich wundert daß die Silbern Juristen / vmb dero Thaler wegen/ solche Schande der H. Schrifft auffthun. Wolan gelustetz euch / ich wil euch die lüst büssen/dar zu sey dir trotz gebottẽ. Wollet ihr das thun weil ich lebe / was werdet jr nach vnserm Todte thun. Wolan ich wil euch vermahnet haben/vnd gebetten dar zu/dz ihr eben wisset/ist euch ja zuwol mit der Eselsfürtzerey/ fresset sie in Italia/vnd anders wo Vñ macht vnns kein Gestanck in der Kirchen. Hæc est censura animantis bruti, quam ego latinitate donabo in gratiam eorum, qui linguam germanicam non intelligunt.

Ex

Exhortatio D. Martini Lutheri ad Jurisconsultos, ex suggestu facta. VVittenbergæ 13. Febr. 1543.

Unum adhuc hic superest de quo verba me facere, & vos admoneri necesse est: puto omnes diabolos cum omni potestate infernali adesse. Audent nostri nobiles Iurisperiti Ius canonicum, papisticum illud stercus, publicè juventuti proponere, & exponere: quod nos tantâ cum molestiâ, & difficultate, tanto labore & sudore ex nostra Ecclesia ejecimus, & condemnavimus. Insuper abundè satis probavimus illud non esse ferendum in nostris ecclesijs. Illi verò cum superbia, nobis invitis volunt fatidum illud stercus postliminio revocare. Sed volo vos seriò admonitos, ne tentetis me tam graviter: si nimis bellè vos habetis, ego titillationem illam vobis abstergam. Melius scio quid sit jus canonicum, quàm vos unquam aut discetis, aut experiemini: stercora sunt asinina, si arrident palato vestro, dabo illa vobis commedenda. Proindè vos exhortor, sinite veterem canem dormire, & Theologiam manere Theologiam. Tollite mihi Asinina illa stercora ex ecclesia; si non sponte feceritis, cogemini. Equidem in tota illa papistica, & maledicta iniquitate (bene linguâ lapsus sum, debebam dixisse in toto Iure Canonico) nihil aliud habetis, quàm mera stercora Asinina: ubi ne minimum quidem punctulum docetur quid fides,

 charitas

charitas & sacramentum sit, & vos vultis in illo explanando artem vestram nobilitare, sed totam nostram ecclesiam pudefacere, miseram juventutem suspensam tenere, vos & meipsum perdere. Sed *ego vos ex vestris virtutibus ornabo, expectate paululum: Itane satan vos totos occupavit, ut nesciatis quid facto opus sit. Plus habetis quod agatis in jure Casareo discendo, & docendo, quàm ut vobis vacet juventuti asininis illis stercoribus molestiam creare, & impedimento esse. Ius illud Casareum, Imperatorium, totum requirit hominem, & totam hominis vitam. Ageres Deo gratias, quod liberatus sis ab illo fatore Asininorum stercorum, si scires quid tibi faciendum esset. Miror argenteos illos jurisconsultos intuitu lucri, in gratiam Dalerorum imperialium, tanto pudore afficere sacram scripturam. Age si placet, ego titillationem illam profligabo, & voluptatem juridicam castigabilem dignè castigabo. Vultis hoc nobis viventibus facere, quid non facietis post mortem nostram. Age volo vos admonitos, & insuper rogatos, ut probè sciatis meam mentem. Si non potestis carere Asininâ illa stercoratione, comedite merdam juris canonici in Italia vel alibi: & parcite inficere ecclesiam nostram illo fatore.* Quid tu ad hæc anime mi, qui aut I. V. Doctor es, aut propediem eris? Quid cæteri Iurisperiti Lutherani? Dedistis profe-

ctò

ctò grande patientiæ vestræ documentum, & sicut vetus ætas vidit quid ultimum in libertate esset: ita vos quid in servitute, ad-empto per fulgura, per tonitrua, per fulmina Lutheri, discendi & docendi juris canonici comercio. *Memoriam quoq; ipsam cum voce perdidissetis, si tam in vestra potestate esset oblivisci, quàm tacere.* Hic ego vos, per illam prudentiam, quâ juris utriusque Doctores estis, rogo; quo jure sitis in illa Ecclesia, quę condemnavit, excomunicavit, & crema-vit jus Canonicum? id est, orthodoxorum Patrum in concilijs unitorum decreta, & statuta de fide Ecclesiæ Catholicæ solidâ, spe congrua, & charitate continuâ. Patres in Concilijs sedentes, Luthero *Asini sunt*, & vos juris Canonici vel Doctores, vel privati Lectores, *Asinorum estis imitatores, & cultores.* Patrum sententiæ in concilijs latę pro fide Catholica, cōtra omnes hæreses, Luthero *Asinina sunt stercora, & vos Iurisperiti taliũ ferculorũ amatores, & voratores.* Hæc legitis, & muti estis? Hæc auditis, & nō respondetis *stulto secundũ stultitiã suã, ut videatur desipere. Væ* (inquit Esajas c. 5.) *qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Ius Canonicũ non est ferendũ in Ecclesia Lutheri, quia statim in

initio

initio offendit illum graviter dum dicit: *Omnis lex aut permittit aliquid, ut vir fortis petat premium; aut vetat, ut sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat.* Non est ferendum, quia tam multa in illo continentur à Sanctis patribus in concilijs tradita de perpetuâ Monachorum, & sacrarum virginum castitate, deq; aditu illis ad mundum revertendi intercluso, & regressu interdicto. Non est ferendum, quia authoritate Conciliorum docet servanda esse jejunia ab Ecclesia Catholica præscripta; & abstinendum esse à carnibus, atq; delicatioribus cibis in quadragesima, & bis singulis septimanis totius anni. Deus bone, quales & quanti sunt Asini, qui non vident Lutherum esse Asinum, in quo non est intellectus Catholicus! Dęmonicis fraudibus irretiti sunt, qui non vident illum habere dæmonium. Spiritu Dei destituti sunt, qui non vident spiritu Dei ablato mendacem spiritum Luthero datum esse. *En* (inquit, Zvvinglius) *ut totum istum hominem Satan occupare conetur.* Vos Lutherani, qui estis Iuris utriusq; Doctores, illudq; nomen doctrinâ, & virtute tueri valetis, aut Lutheranismo, aut Iuri canonico nuntiū remittite. Cæteri qui solo titulo emptitio superbi estis, & vix totum juris Canoni-

dicit: l
rtis pu
inum n
um, es
tis p
M
itat
i in
fe
loc.
olit
lbs
, l
us

Canonici indicem hacte
illud jus, ad quod legen
ligamini, & desinetis e
dicit se esse verum Luthe
Doctorem; illum ego ex j
vult,) *ex doctrina Luthe*
Ipse SALVIUS hîc
Vale, & vapulantibus
& futurum promissi me
jdib. Octob. M. DC. X

EPISTOL

JOANNI HALEN
variarum gentium l

NOn amas solitaria
literas; nihil enim
quam oblectatium
deceptionem: si tibi it
mecum philosophanti c
ipsæ literæ, nullo tuo,
gnæ, te jampridem nol
magis magisq; nobilita
bet philosophia bonum
tu dignum, hoc est, q
oculis non lustrat. Omn
originem trahunt à De
infundit in corpora, &

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu:
Hic clausit membris animos
Celsâ sede petitos.

Corporibus eadem omnibus principia, eadem origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & bonis artibus aptius.

Quid genus, & proavos strepitis?
Si primordia vestra,
Authoremq́; Deum spectes,
Nullus degener extat;
Ne vitijs pejora fovens,
Proprium deserat ortum.

Bona mens omnibus se patefacit, omnibus obviam procedit, omnes invitat, omnes vult esse nobiles. Potest ex Casa Vir clarus egredi: potest ex deformi, & gibboso corpusculo formosus exire animus, rectus ac bonus: in quo tota nostra nobilitas à Deo collocatata est. Boni animi non minus capaces sunt Libertinus & servus, quàm Baro, & eques Auratus. Interroga Senecam Philosophum, quid sit Patritius, quid eques Romanus, quid Libertinus, quid servus? & respondebit tibi esse nomina ex ambitione, aut ex injuria nata.

Sint tibi Gallorum rex, & regima parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:

Non

Non pluris faciam te, q
Si sit, & ignotus rusti

Quemadmodum demen
ære sibi paraturus, non
ephippium, frænum, st
quibus ornatus est: sic
maximè laborat, qui h
bonitatem aut ex veste,
instar vestis nobis adhæ
pientia neminem fastid
tem invidet, omnibus
præfert. Socrates non
anthes situlis aquâ pie
ros, & rigando hortu
platonem non accepit
sed fecit. Cicero no
sed ex sua virtute nobil

Roma patrem patriæ Ci

Quid Papinianum, Ulpi
Modestinum? quid Bart
normitanũ, Schneidevi
beciũ, Hotomannũ nobi
tia; aut si mavis, *Coda*
Quid impedit, quò minu
posse æquare virtutẽ? Om
consulti majores tui *sunt*

dignum. Præstabis autem, si eò adduci potes ut credas, nulli te animę nobilitate secundum esse. Plato ait, omnem regem ex servis, omnem servũ ex regibus ortũ ducere. Omnia ista longa temporum series miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit. Nulli ergo generosi? imò omnes, quotquot ad virtutem à natura bene sunt compositi.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

Qui imagines in prima ædium parte collocatas ingredientibus præbent conspiciendas, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris recensent, noti magis quàm illustres sunt: quorum majorum primus

Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Sed expecto à te nobilem de nobilitate censuram. Vale, & rescribe quo jure Comes Comitem, Baro Baronem, Nobilis Nobilem gignat, cum Jureconsultus nõ generet Jurisconsultum, nec Medicus Medicum, nec Philosophus philosophũ. Lutetiæ 8. Cal. Novemb. M. DC. XXVII.

EPI-

EPISTOLA L

JOANNI HALEN

LIteræ tuæ non cohær
contaminatæ. Nescio
altera manu fers lapi
tas alterâ. aliud in titul
fers. Quid, an putas m
in aula, ut non sciam am
panes à lapidibus? Dio n
gatta; che dinanzi mi le
graffia. Sed malo nodo,
cuneus. In principio tua
losophicam meã de nob
in fine culpas; quia non
eodem ore calidum, & fr
uius dicam. Quæris utru
pta, an philosophorum c
Ut rem tibi dicam sine v
ne, & paucis te absoluan
legio, concilio, & cõsessu
los, mixtos.

Ægrotant Medici, frauda
Descendunt multi in tarta

Ego velut speculatorem m
cum Diogene aliquo ad n
randas. Si quid splendore

aliquâ dote commendabile, se oculis meis insinuat admiror, vel imitari conor. Redolet aliquid fætorem, sordium congerie contaminatum, situ & rubigine squalidum? protinus id conculcandum censeo: & non solum cũ contemptu transeundum, sed insuper magno animo ad meliora abeundum judico. Sed quid tu de aulico sentis? Dum Hunterus, inquis, meus ab ambitione erat aliẽus, familiaris otio & literis, sibi & Musis amicus, nemo illo fuit in officio diligentior: sed postquam alterum pedem in aulâ intulit, tantum discrepat à semetipso, quantũ adamas, smaragdus, carbunculus impoliti à sculptis, & perpolitis differunt: & quantum mulier animal fastuosissimũ surgens è strato dissidet à seipsa, postquã crines fluentes, & per humerum sparsos doctâ comptriciũ manu composuit, vultum lavit, splendido, ac pellucido amictu induta. Hanc puto esse brevem summam eorum, quæ mihi objicere videbaris. Sed bona verba quęso. Nemo repente fit summus, nemo repente turpissimus. Per gradus multos, aut ad virtutis cacumen ascendimus, aut ad vitiorũ fæces descendimus. Natura non facit saltũ in suis operationibus, nec ars naturæ imitatrix. Habitus virtutũ, & vitiorum pedetentim acquiruntur,

& ab

& ab uno contrario ad aliud lentè proced-
tur: quamvis faciliùs depravemur, quàm
emendemur, & velocior sit declinatio à bo-
no ad malum, quàm reditus à malitia ad bo-
nitatem, à vitio ad virtutem. Lutetiæ Pri-
Idu. Novemb. M. DC. XXVII.

EPISTOLA LIII. *Andegavum.*

JOANNI HALENO, *jurisconsulto Sueco.*

DE honesta, religiosa, & læta *perfectorum Christianorum*, id est, Monachorum pau-
pertate, bonarũ mentiũ sorore, religios-
& Catholicè antehac philosophatus sum: nũ
Stoicè tecum agã, & ostendam omnem ben-
numatum, bene peculiatum, in bene auctâ, &
lautâ re constitutũ esse pauperem. Opulẽtus
ni fallor, putatur, cui multum nummorum in
arca est; cui aurea & argentea suppellex, co-
mes it itineris; cui in diversis provincijs mul-
tum seritur, ac metitur; cui tantum subur-
bani est agri, quantũ non sine invidia in soli-
tudine possideret; cui plena sunt horrea, gra-
naria, cellaria, *eructantia ex hoc in illud*; cui lani-
geri sunt greges, oves fætificæ; mugientium
vaccæ pingues, boves crassi; cui jumẽta & ar-
mẽta in agris, cãpis, pratis vagantia, equi, muli
sini, *in quibus nõ est intellectus*. Ejusmodi dives cũ
omin[...]

aliquâ dote commendabile, se oculis meis insinuat admiror, vel imitari conor. Redolet aliquid fætorem, sordium congerie contaminatum, situ & rubigine squalidum? protinus id conculcandum censeo: & non solum cũ contemptu transeundum, sed insuper magno animo ad meliora abeundum judico. Sed quid tu de aulico sentis? Dum Hunterus, inquis, meus ab ambitione erat aliẽus, familiaris otio & literis, sibi & Musis amicus, nemo illo fuit in officio diligentior: sed postquam alterum pedem in aulã intulit, tantum discrepat à semetipso, quantũ adamas, smaragdus, carbunculus impoliti à sculptis, & perpolitis differunt: & quantum mulier animal fastuosissimũ surgens è strato dissidet à seipsa, postquã crines fluentes, & per humerum sparsos doctâ comptriciũ manu composuit, vultum lavit, splendido, ac pellucido amictu induta. Hanc puto esse brevem summam eorum, quæ mihi objicere videbaris. Sed bona verba quęso. Nemo repente fit summus, nemo repente turpissimus. Per gradus multos, aut ad virtutis cacumen ascendimus, aut ad vitiorũ fæces descendimus. Natura non facit saltũ in suis operationibus, nec ars naturæ imitatrix. Habitus virtutũ, & vitiorum pedetentim acquiruntur,

& ab

& ab uno contrario ad aliud lentè procedi-tur: quamvis faciliùs depravemur, quàm emendemur, & velocior sit declinatio à bono ad malum, quàm reditus à malitia ad bonitatem, à vitio ad virtutem. Lutetiæ Prid. Idu. Novemb. M. DC. XXVII.

EPISTOLA LIII. *Andegavum.*

JOANNI HALENO, *jurisconsulto Sueco.* S.

DE honesta, religiosa, & læta *perfectorum Christianorum*, id est, Monachorum paupertate, bonarũ mentiũ sorore, religiosè & Catholicè antehac philosophatus sum: nũc Stoicè tecum agã, & ostendam omnem bene nũmatum, bene peculiatum, in bene auctâ, & lautâ re constitutũ esse pauperem. Opulẽtus, ni fallor, putatur, cui multum nummorum in arca est; cui aurea & argentea supellex, comes itineris; cui in diversis provincijs multum seritur, ac metitur; cui tantum suburbani est agri, quantũ non sine invidia in solitudine possideret; cui plena sunt horrea, granaria, cellaria, *eructantia ex hoc in illud*; cui lanigeri sunt greges, oves fætificæ; mugientium, vaccæ pingues, boves crassi; cui jumẽta & armẽta in agris, cãpis, pratis vagantia, equi, muli asini, *in quibus nõ est intellectus*. Ejusmodi dives cũ

omnia

omnia dixeris, pauper eſt. quamobrem? quia debet: quantum, inquis? omnia: niſi fortè in illa es hæreſi, ut credas, Deo non deberi, quæ à Deo accepta ſunt mutuò, vel commodatò? Quid ad rem faciunt mulæ cócolores, bene paſtæ, bellè ſaginatæ, pulchrè corpulentæ, Quid equi, ſtragulis, phaleris, bullis exornati? quid vehicula tam exquiſitè elaborata, auro, & argento ſpendida? Iſta nec Dominum meliorem facere poſſunt, nec equos, nec mulos. Nemo ex iſtis, quos ſumptuoſè veſtitos, purpurâ delicatos, auroque onuſtos vides, beatus eſt, non magis quàm artifices ſcænici, Comædiarum vel Tragediarum actores, qui ſceptrum & coronā geſtant. Ubi coram ſpectatoribus inſtar pavonum, amore, atq; admiratione ſui inflati obambularunt, & cothurnati inceſſerunt, peractâ fabulâ, magnificis iſtis, ac regijs veſtibus exuti, ad privatam fortunam, & conditionem ſuam redeunt. Quid ſentis de illis, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam, molles, lautoſque lectica ſuſpendit? omniū iſtorum perſonata felicitas eſt: quos magnos eſſe putamus; quia baſi illos ſuâ non metimur, nec virtute æſtimamus. Quid ſentis de illis, qui ſacratiſſima, atq; arcana vaſa, vel veſtes, cæte-

cæteraq; donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt, abstulerunt, & in profanos usus converterunt? qui spolijs Ecclesiæ Catholicæ superbi, & basilicè exornati incedunt? Movebunt corniculæ risum, furtivis nudatæ coloribus. Vanum, inquis, ambitionis genus est odium divitiarum, & infirmi animi non posse pati honestas opes; sine quibus multę virtutes sub sordidis palliolis, rimarum plenis, latēt otiosę, infructuosę, scabiosę. Tu qui Evangelicus es, nunquam assurgere potuisti ad illud triste, & severum Christi consilium in Evangelio descriptum: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c.* Opulentam conjugē mavis, quàm molestam illā contubernalem paupertatem. Qui argutè, inquis, philosophantur in laudem egestatis, sunt *Stoicæ simiæ, pediculosi Monachi, barbigeri, funigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritæ, grisones, albichlamides, versicolores, multipelles, linostolij, retiarij, palliati, chlamydati, pullati, palludati, præcincti, braccati, ac id genus aliorum turba histrionum.* ô barbariem, & crassam ignorantiam Lutheranorum, alienis vocibus blasphemantium; qui in tantum sunt imperiti, ut ne maledicta quidem habeant propria! Nisi

Q enim

enim Cornelius Agrippa ita debacchatus fuisset in suo libello de vanitate scientiarum, Lutherani haberent dæmonium mutum. Parce quæso invidere nostris Monachis, *perfectis Christianis* bonæ mentis sororem, religiosam paupertatem, sordidam togam, squallidum pallium, tenuem victum, & rerum humanarum contemptum, qui jure meritoque Luthero, & sectarijs bonę mentis naufragium invident. Nostri Catholici qui fuerunt in seculo magni, in foro, & curia potentes, stipendijs militaribus nobiles; cum secesserint à luce Reipub. ad severam pietatem discendam, & exercendam, non hoc agunt, ut in ore sint omni populo: sed quod homines de alijs libentissimè faciunt, de seipsis apud seipsos malè sentiunt, & ulcera sua curant. Deinde sanitati restituti, & animo in cælum rapti intelligunt, cum sellam aut tribunal conscenderant, quàm humili loco sederint. Ego rectum iter, quod serò cognovi, popularibus monstro, & voce summâ, quoad vires valent clamo; fugite, fugite hæreticos Monastieæ, sanctæ, perfectæ vitæ osores, calumniatores, blasphematores. Lutetiæ 10. Cal. Novemb.

M. DC XXVII.

EPI-

EPISTOLA LIV. *Salisburgium*
JACOBO LEUCOPHÆO, *Secretario Fyrstenbergico.* S.

Putabam te fusè & copiosè nobis depictu-rum principis Salisburgiensis magnificam opulentiam, & liberalem hospitalitatem; exquisitas illas dapes, & struices patinarias, quibus vos nuper eleganter accepit, & lautissimè tractavit: sed nisi penicillus pictoris rectiùs, & diligentius illa convivalia oblectamenta descripserit, quàm tuus calamus, multum derrahetur nostræ curiositati, qui rem omnem, uti gesta est, scire gestimus. Nescio quem accipenserem laudant veteres, quas murænas, quas phænicopterorum linguas, & alia portenta luxuriæ: in Germania non meretur nomen comodi, & liberalis convivatoris, nisi qui mensam hospitalem bestijs & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus onustam convivis suis apponit. Sed quæ fuerunt vestræ in illo sumptuoso, & splendido convivio deliciæ? Bestiæ, inquis, in piscatu, venatu, aucupio, spe aliquâ oblectante il-lectæ, & deceptæ: pisces, inquam, aves, feræ, quæ discurrere, volare, natare desierunt, in vestris sepultæ sunt ventribus. Et multa alia ad ventris victû conducentia, embam-

mata ac liquamina, insitia & farcimina, intritæ & rotundæ, scriblitæ & artocreæ: quæ omnia si memorasses, in mora tibi fuissent. Quid noster lepidissimus parasitulus in tanta ferculorum copia negotij habuit? Extra suam, inquis, jurisdictionem, jus dixit larido, & pendentibus indemnatis pernis auxilium tulit: cujus judicio qui multum, & sæpe edit alieno sumptu, parum verò, & rarò suorum nummorum periculo, is optimâ, & maximè alibili diæta utitur, domi & foris sapiens. Dij immortales, inquis, quanta pernis pestis venit; quanta labes larido; quanta sumini absumedo! Sed quid tu (malum) curas, utrum crudum, an coctum edat? sibi ille esurit, sibi edit, non tibi. Des alienæ gulæ veniam ut tuæ impetres. Novi equidem urbanum hominem, qui

Semper inurbanus cum bibit esse solet:

novi manus ejus rapaces, quæ nihil reliquerunt intactum: novi vinosissimum vinipotorem; qui magis timet tenuem cervisiã, quàm inquisitionem Hispanicam. Videor quasi in speculo contemplari blandũ parasitastri vultum, manus ex larido, & pingui offa madidas, os illud venustulum, linguam non otiosam in sugendis guttulis, quæ stillabant ex prominenti-

minentibus illis mystacibus. Quid vis? non voto vivitur uno: Multi, ut audio, inter illa scitamenta convivalia, scitè philosophati sunt de illo gulæ, & ventris mancipio, quem veteres referunt collū gruis sibi optasse, ut quam maximâ, & longissimâ voluptate perfrui posset. Sed heus tu, qui Cornelium melius nosti, quàm Tacitum: Thais illa, quam miles gloriosus hîc Viennæ amavit, uterum gestat, nescio quâ molâ tumidum. Noster medicus, qui in ejusmodi morbis medicinam, aliàs profitetur, nescit quid dicto, quid facto opus sit. Mone philosophum militarem, ut Gnathonem, suum conterraneum, verbis Ulyssem, & factis Achillem subornet: qui fœminæ in squalore, & luctu supplici, vicariam operam præstet, non permissurus ut:

Perpetuo mœrore, & nigrâ veste senescat,

digna quæ post menstruam mæstitiā, aurum & purpuram resumat. Ego ex illorum philosophorum numero sum, qui lectissimum sociū amant, bonum lectum sine socia.

Viennæ 5. Idu. Octob. M. DC.
XXVIII.

EPISTOLA LV.

ILL.mo & EX.mo Dño, Dño VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg, &c. Equiti aurei velleris, & Præsidi imperialis aulici consilij meritiss. Patrono meo maximo. S.*

Quod hactenus nihil ad Te literarum dederim, HEROS, feci permotus honore, qui virtuti, dignitatiq; Tuæ debetur. Nam etsi comitas, commoditasq; morum Tuorum eam mihi potestatem facere videtur, ut possim ex quacunq; occasione meam erga Te testari observantiam, tamen in hunc diem verecundiâ impeditus, officium scriptionis distuli. Nunc tandem vel mei muneris ratione, vel de Tua voluntate conjecturâ adactus, manum admoveo calamo. Quid verò epistolæ hujus vel mihi accomodatius, vel Tibi acceptius fore argumentum sperem, quàm si de Generosiss. Tuo filio, Comite Alberto quod sentiam perscripsero. Heri mane cum adhuc hæreret in lecto, febriculâ, quantum suspicor, correptus, allatæ sunt illi Tuæ literæ, paternâ benevolentiâ refertissimæ: quæ semel atque iterum reverenter perlectæ, animum ejus ob levem corpusculi alterationem solito tristiorem mirificè

ficè exhilararunt, ita ut alacriter calidum nidum relinqueret. Deinde vestibus indutus, precibus ad Deum fusis, & jentaculo sumpto, reliquam diei partem hilaris transegit. Hodie verò advocatum medicum consului quid facto opus esset, ne crudi illi & indigesti humores incrementum sumerent, & morbum augerent. Ibi medicæ artis peritissimus. D. Reichtbergerus me audito, vultu statim ad gravitatem composito respondit, expectandum esse crastinum, ne quid temerè præscriberet. Quod si iterum aliquo febris accessu tentatus fuerit, imitatuturum se ait gladiatores, qui in arena consilium capiunt, & principijs obstiturum, ne serò medicina paretur. Cæterùm pro sua prudentia jussit nostrũ Comitem bono esse animo, & in utramvis aurem dormire: nihil enim se videre periculi, quod magnopere timendum sit. Ego statim dato plausu exclamavi, Artifici in sua arte credendum esse, & Domino Alberto studiorum inducias dedi, sed breves; de cujus valetudine & literarum telâ, quam feliciter exorsus est, pertexendâ, æquè ero sollicitus, ac si ipse quotidianâ Tuâ præsentiâ stimulos nobis adderes ad cursum. Vale Patrone Ex.^me, & me tuo patrocinio dignum puta. Viennæ 15. Cal. Nov. M.DC.XXVIII.

EPISTOLA LVI.

JACOBO LEUCOPHÆO Secretario Fyrstenbergico. S.

QUod tibi fuit promissu facile, factu est difficile, quia invitus facis. Gravem de te querimoniã habeo, si oblivioni tradidisti, quod tam liberaliter promisisti; graviorem habiturus, si memoriâ tenes, quod in te sponte recepisti. Oblivione sepelire familiare amicis officium, vix amici; operam non dare post fidem datam, prorsus inimici. Equidem multò rectius fecisses, si in discessus tui articulo officium scribendi denegasses, quàm promissum non servare. Nullam enim injuriam mihi à te illatã, interpretarer, nisi me vanâ spe lactares. Quid est, inquis, quod tibi debeo? Literas, animi tui interpretes mihi debes, quia promisisti. Equidem non possum eò adduci ut credam te illorum militiæ nomen dedisse, qui jurant perjurant, promissis stare nolunt. Concepturus illam de te sum opinionem, nec ne, in tua est potestate: hoc tantum moneo, si amicum te mihi ostendere non vis, desinas nihilominus tuæ famæ, & existimationi esse inimicus. Contemptu famæ contemnuntur virtutes. Desines autem tibi esse injurius, si spem, quæ apud me decollavit,

vit, validâ & potenti tuâ manu resuscitaveris: quo facto te vere magnum, ac omniũ admiratione dignum effeceris. Denique profitebor me tibi multum debere, si filiam mortuam vitæ restitueris; mirabor multum nisi te hoc miraculo apud me purgaveris. Purgatum ego te pro mea, quâ possum authoritate, in numerum sanctorum inferam, & pro spe defunctâ, ad vitam revocatâ, vitâ diuturnâ beabo. Pro parvo labore, non comtemnes magnam mercedem, si tuis comodis consultum vis. Sed heus, Tu, qui Senecæ, magno alioquin, & sobrio, meâ quidem sententiâ, philosopho credis, aliquando ad ebrietatem veniendum esse. Visn' hunc diem hilarem sumere, & jucunditati te tradere cũ Gnathone, qui heri inter schyphos amicis illudebat, & bene potus redibat? Visn' paulo liberalius te invitare, ut tristiciam ex continuatione pertinacis studij collectam, mero puriori diluas? Quid rogo? scio te velle. Age, age,

Si vox est canta, si mollia brachia salta.

Paratus sum, inquis, ad saltum, quamvis nemo apud Romanos saltarit sobrius. Arrige ergo aures, mi Pamphile, ad tibiæ meæ, cantum, & fistulæ sonum, quo te saltaturum leviorem reddam, & spectatoribus gratiorem.

Nuper

Nuper magni cujusdam Rhetoris amicitiâ nobilitati sumus, qui suâ etiam facundiâ te beabit ad nos reducem. Quis est, inquis, magnus ille Orator, cujus eloquentiam tantoperè laudas? Dicam syncerè, dicam candidè meo more; est antiquæ nobilitatis scurra, qui in loco stulticiam simulare didicit, cum maxumis, medioxumis, minimis gaudere, ludere, ridere solitus; qui omnibus suis familiaribus quocunque se verterint, voluptatem, jocum, lusum adfert, velut in hoc ipsum à Deorum indulgentiâ datus, ut humanæ vitæ mæsticiam suâ sapientiâ ex animis pellat. is nescio quo parario usus, aditum sibi ad nos paravit, & paucis abhinc diebus operam dentium non aspernandam nobis locavit. Tristi & severo vultu in triclinium venit: putasses in senatu rem geri, cum ad nos accederet, aut Hannibalem ad muros esse. Cæterùm ut primum cænandi copia data est, Homeri meminit, qui in tanto numero mendaciorum, nihil verius dixisse existimatur, quàm neminem unquam esse oblitum se esurire. Deinde anseres tres, aviculis minoribus nó ineleganter farctos frustulatim concîdit, & multa alia inter patinas præclarè gessit. Tandem vino exhilaratus, philosophari cæpit

cæpit de morionibus, ardelionibus, Thraso-
nibus, Gnathonibus; quibus uti nihil putat
esse felicius, ita quoque inter illos se princi-
patum obtinere jactabat. Nos risum tenere
non potuimus, auditâ ridiculâ ejus disser-
tatione. Quid, inquit, ridetis stulticiæ fau-
tores? ego quando fatuo delectari volo,
non longè mihi quærendus est, meipsum
rideo: immò reges & principes rideo, qui-
bus adeò sumus in delicijs, ut nonnulli
sine nobis neque prandere, neque cænare,
neque iter facere possunt. Aluntur qui-
dem in aula philosophi & Medici, sed nos
(quos bliteos vocant) illos tetricos So-
phos longo intervallo à tergo relinqui-
mus. Moriones enim id præstamus, quod
unum undecunque principes modis omni-
bus aucupantur, jocos, risus, cachinnos.
Atque ut sciatis nos planè esse beatos: si neq;
fame torqueri, neq; siti cruciari, neq; frigore
uri, in magna felicitatis humanæ parte col-
locandum est, quis nobis est felicior? Inve-
nietis quidē multos philosophos, qui frigore,
fame & siti periclitentur: parasitum autem
nullum; alioquin, inquit, parasitus non esset,
sed infelix quispiam, aut mendicus, aut phi-
losopho similis. ita Philosophorum nunquam

nisi per ludum & jocum meminit, quorum, prandia & cœnas, sale quidem & aceto, sed nullo bono pulmento commendabiles, salsè irrisit. Postremo multis verbis ultrò citròq; habitis, fabulam vel historiam tragicam nobis retulit. Philosophus, inquit, ab amico ad cœnam invitatus excusavit se; & inducias petijt in diem sequentem. Interim dum stipulatâ manu fidem dat, delapsa è tecto tegula caput ipsi comminuit, qui læso cerebro philosophari desijt. Risi philosophum, qui sibi crastinum promisit, & amico cænam condixit, in utroque deceptus.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ego inquit, vocatus præstò sum, vel invocatus ultrò me ingero, nunquam meus, semper alienus. Philosophi sententias loquuntur pingues, & fortiter esuriunt. Parasitæ sciunt optimis auspicijs ea fieri, quæ non procul à culina geruntur. Nutricem eam vitæ humanæ esse: cætera omnia frigere. Hanc in adversis solatio, in secundis ornamento esse, id quoque sciunt, quod philosophi nesciunt. Hoc modo facetus ille scurra, nostros Sophos lusit jocosè satis, & ego jocularium in malum pene insciens incidi. Vale, & memento de scurra multo facilius divitem, quàm patrem familiâs

liâs fieri posse. Viennæ 6. idus Novemb. M. DC. XXVIII.

EPISTOLA LVII. *Pragam.*

JOANNI RICHARDO *Schvvab, à Ragersdorff. S.*

VEteribus Romanis in more positum fuit, & quidem ad Senecæ ætatem observatū, epistolarum ad familiares initium facere ab his verbis, Ciceroni admodum familiaribus: Si vales bene est; &c. Sed liceat mihi vocibus mutatis sensum retinere, & cum Stoicis dicere, si philosopharis, bene est; ego philosophor. Cave, inquis, ne nimium philosopheris, cum quibusdam, & ijs non indoctis totum hoc dispiceat philosophari. Scholastica enim studia leviter tractata delectant, contrectata, & propius admota fastidio sunt. Quicquid sit, ego pro re nata tecum aut philosophari debeo, aut iram meam in te evomere, ut intelligas etiam philosophiæ suam bilem inesse. Nullus dubito, quin recenti adhuc memoriâ teneas, quid inter nos actum fuerit antequam à nostro complexu non ita pridem discederes: ego quoque bene memini, qui eram tunc temporis impransus, & sobrius, dedisse me tibi triginta grossos pro uno Dalero Imperiali. Aureoli isti homunculi

culi, qui nihil nisi aurum somniant, suspicati sunt sex ducatos meæ fidei fuisse à te commissos, quos eram nomine tui Principis Ludimagistrę oblaturus pro munusculo. Magister verò magistræ, paulo post vestrum abitum ex foro piscario ad nos reversus, rectà ad me venit; & spe aureâ plenus expiscari cœpit, num aurei illi pisces ex aureo mari egressi ad me divertissent, à diverticulo repetendi. Ego pro mea simplicitate respondi me Davum esse, non Oedipum: nihilque vel vidisse, vel audisse de isto aureo imbre, qui per impluvium mittendus erat in gremium aureæ feminæ. Tamen si ejusmodi donum pro fautrice nostræ familiæ alicubi relictum esset, divinabam illud exigendum fore ab illo feroce Satrapa, qui imperium habet in bestias. At ille vel depositum abjuravit, vel tu nihil apud illum deposuisti, ex alieno illiberalior, quàm ex tuo. Putabam quidem cum literarum reciprocationem, & officiorum vicissitudinem stipulatâ manu inter nos promitteremus, aliã mihi fore initio scribendi materiã: sed nunc tempori serviendum est, quod nobis servit. Tu pro tuâ æqui boniq; scientiâ, literas tuas, innocentiæ nostræ vindices futuras ita temperabis, ut nihil hostile sapiant.

Iuris

Iuris prudentes, prudentes jure vocantur,
Tam bene cum studeant, provideantq; sibi.

Vale & summum jus summam injuriam esse puta. Viennæ Austriæ 3. Idu. Nov. M. DC. XXVIII.

EPISTOLA LVIII. Patavium

TURONI BIELCKE, *Baroni Sueco. S.*

Ante octiduum cum aures meæ ad illorum sermonem paterent, qui nova nobis ex Italia referebant, volupe mihi fuit audire te Patavij esse Consiliarium, & familiam ducere inter Academicos. Extra patriam non est aspernandus ille honor, qui tibi viam ad omnia summa parat: ad quę domi conscendes meo cum voto, & omnium tuorum applausu, Deo promovente. Sed ubi ad altum dignitatis gradum evectus fueris, eris ne memor tui Hunteri, qui te Lutetiæ impurissimis variolis conspurcatum non est aversatus? qui tibi monstroso homini, à supremo vertice usq; ad plantã pedes fœdo; oculos habenti, & non videnti; pedes habenti, & non ambulanti; manus habenti, & non porrigenti; quicquid suarum fuit partium, noctu atque interdiu sine murmure liberaliter commodavit; qui te vi morbi ex homine Idolum

Idolum mutatum curavit, donec jdoli formâ depositâ, humanam Dei beneficio recipisses. Non patieris tibi ingratitudinis notam inuri, qui ita natus, altus, & educatus es, ut illud vitium cane & angue pejus odisse debeas. Sed quod mihi ob fidem Catholicam proscripto, & exulanti referre non potes, id amicis meis, fratribus, & consanguineis lubens pstā, ut per hanc Suecorum communionem tandem discant quid sit communio sanctorum. Nullus est in tota Suecia locus venatibus aptus, qui hunc venatoré desideret, forutan Stocholms Smedjegáel / dijt Jagh inthet lengtar / effter däer så streckelige spöktar / och är fuller medh Bergtrell / Tomtegubbar / Skoghzrådh / och dödhe döjor. Ubi flent miseri homines, qui pulmentum furfureum pransitant: ubi vivos homines mortui incursant boves, Orepeesen / och Stretampen. Men Gudh bewahre alle rechtskaffene jagare ifrå Qwarnehuß / ubi lapis lapidem terit. Quæris quo successu ex Gallia in Germaniam profectus sum?

Per varias casus, per tot discrimina rerum, quot nunc dicam. Lutetia à luto dicta est, & meritò: est enim valdè lutosa. Sed nos extra illam cæno collitam Urbem multò profundius, & tenacius lutū invenimus, quàm in illâ;

in illá; ex quo non sine magna molestia, & labore emersimus. Verùm enim verò itineris nostri incommoditates mirificè auxerunt tres impudentissimi canes, non facundi, sed fæcundissimi viatores, qui eodem curru nobiscum vehebantur, & molestiam nobis perpetuam creabant ea parte, cui pessimè cum naso convenire solet. Omnem enim suam virtutē, ex quo seriò philosophari cæperunt, in actione pedendi, putabant consistere: utq; expressius verbó Gothicó Cynica mysteria efferam, in actione fizandi. Quæ ibi in comuni vehiculó narium obturatio? quæ execratio? Delicatiores, fætoris impatientiâ victi clamabant phy duplicativè; alij tripliclabant, prout erant alijs iracundiores. Galli vociferabãtur in malam crucem rapiendos esse illos Cynicos Philósophos; qui cum objurgarentur à socijs tanquam blásphemi, eo quòd nimis crebrò impatientiam suam proderent, effutiendo voces illas tragicas; *para mor bleu*, *la peste*, *l' enfer*, *la teste du diable*, & similia sacramentaria verba, volebant nobis persuadere ejusmodi juramentá esse Gallicæ linguæ ornamenta. Qui patientiæ laudem in re fætida affectabant, fingebant se parum moveri Cynicorum condimento, & unguento illo, quod

R non

non admodum elegãter ſonat, ſed pejus olet. Ego ita muſſitavi, & murmuravi, ut palã omnibus innoteſceret me non ita carere bile, quin poſſem iraſci ipſis cynicis, tam ſordidè philoſophantibus. Nullum certè obſervavi ex tam diverſis Philoſophorum ſectis, ita ſuperſtitioſè Socraticum, ita firmiter Pyrrhonium, qui vel vellet, vel poſſet ſecreta iſta cynica, quæ ex poſterioribus analyticis efflabant, Spartanâ patientiâ concoquere: ita omnium nares conſpurcabant odõre illutibili. Ipſi Cynici frontem ſuam corrugabant, & palam negabant ſuum cuique ſtercus bene olere. Movebant nobis ſępe ſtomachum, ſæpe riſum, & anſam dabant philoſophandi. Ego monebam curules, & Patres conſcriptos, multa eſſe, quæ ęquo animo pateremur à beſtialitate brutorum, quæ moleſtè admodum, & nõ ſine vindictæ cupiditate ferremus ab humanitate profecta: ut diſcerent tollerabiliorem ſæpe eſſe conditionem beſtiarum, quàm beſtialium. Facundi comites, diſerti facetiarum patres, jocis, & ſalibus inter ſe certabant. Poëtæ aut inſaniebant, aut verſus faciebant: numeri illis ſponte in os confluebant, tanquam recens cum Virgilio, atq; Ovidio verſatis. Quidam Batavus in illa erat hæreſi, ut crederet li-

licentiam illam Cynicam magnum esse familiaritatis indicium: & hoc probabat ex Martialis Epigrammate in Crispum Cynicum, quod sic sonat:

Nil aliud video, quo te credamus amicum
Quàm quod me coram pedere Crispe soles.

Alius ex libera illa Cynicorum consuetudine divinabat, illos esse sanitatis studiosos; Medicos, non Tyrannos: & pro sua sententia adferebat lepidissimum Nicearchi Epigramma.

Interimit crepitus ventris detentus in alvo,
Et servat blæsum, dum canit ille melos:
Ergo perimit crepitus, servatq; canendo,
Regibus imperium par habet hic crepitus.

Alij alias excrementitias sententias loquebantur. Porrò quemadmodum in consessu Philosophorum, si quando coeunt, ut ex symbolis Cynicorum comedant, in medium adduci solent quæstiunculæ de rebus naturalibus, ibi statim inter nos ventilabatur Problema; quænam esset hominis pars honestate cæteris anteponenda? Primus primas deferebat oculis; secundus nobilitabat præ cæteris cor; tertius cerebrum excellere cunctis judicabat: aliud alijs videbatur honestissimum. Quid me putas inter tot, & tam varia

judicia sentire? Quod fieri in senatu solet, id ego quoque in philosophia faciendum existimo. Cum censuram quis tulit, quæ mihi arridet, manibus pedibusq; in sententiam alterius descendo. Sed erat inter nostros curules quidam Stoicus, homo ex caseo, excrementis ovium piperato conflatus, qui jussus sententiã proferre, dixit suo judicio os honestate superare reliquas partes, & rationem addidit non crassam. Ibi unus ex Cynicis, in illa secta veteranus miles, hircum olens, postquam oscitasset, caput scalpsisset, & nervos distendisset, exclamavit, eam partem quâ sedemus, sibi videri cæteris honestiorem. Cum illa sententia exploderetur tanquam Cynica, & perabsurda, palliavit illam hoc colore, quod is haberetur vulgo honoratissimus, qui primus consideret: hoc honoris competere parti quam nominasset. Applausimus deinde huic sententiæ, & risimus affatim. Cynicus è vestigio gloriari cæpit, sibique placere de hoc plausu: visusq; est in eo certamine victus oris defensor. Dissimulavit tamen piscator in navi educatus, qui non alia ratione inductus os præ cæteris laudarat, nisi quod sciret Cynicũ suæ gloriæ invidentem, diversam partem nominaturum. Postridie manè cum nos para-

remus

ſemus ad iter, & jentaculum expectaretur, omnibus familiariter inter ſe colloquentibus; Stoicus pingui caſeo tumidus ſeceſſit paululum cum ſuo æmulo Cynico, tanquam ipſi arcanum quid in aurem dicturus: ſed in illo ſeceſſu ore illo loqui cæpit, quo nemini maledixit unquam, & Cynicam cecinit cantilenam. Ibi Cynicus vultu ad gravitatem compoſito; hic inquit, perſonas mutamus: ſed heus, dic mihi, quo jure tu, cum Stoicus ſis, Cynicum agis? qui iturus dormitum obturare conſueviſti inferiorem gutturem, ne quid animæ fortè amittas dormiens? *Val piu un grano di pevere, che un ſtronzo d' Aſino.* Tum noſter Stoicus, etiam temerè iraſceris? memento te eſſe Cynicum, & me ſalutem tibi impertiviſſe parte corporis, vel te judice omnium honeſtiſſimâ. Ita ſimiles habent labra lactucas. Si parum lepida eſt comædia, ſcito Cynicam eſſe, actamq; fuiſſe tempore illo, quo regnãt piſcatores, frigent lanij. Vale. Viennæ Auſtriæ, 5. Id. Maij, M. DC. XXIX.

-ꝏ(o)ꝏ-

EPISTOLA LIX. Lutetiam.

PETRO HARTZWICHO, *Hamburgensi*, S.

Bonum omen occurrit. Lutheranæ perfidiæ scrupulos sentis, & Medicos vocas, qui illos tibi eximant, quibus par esse non potes. Initium divortij, notitia scrupulorum. Paulo Æmilio uxor erat, Masonis viri consularis filia pulchra, cum qua postquam multis annis consuevisset, & ex illa liberos formâ liberales, vultu modestos, & moribus commendabiles suscepisset, uxorem formosam, & adhuc juvenem repudiavit. Deinde amicis ejus, divortium illud graviter, & molestè ferentibus porrexit calceum, dicens: Hic calceus nónne novus est? nónne pulcher? At nemo vestrum novit, quâ parte pedem meum torqueat. Glorientur Lutherani, Lutheri sponsam esse pulchram, quæ multis regibus, & principibus arrisit, multasq; civitates liberas in sui amorem pellexit. Glorientur esse fæcundam, quæ tám numerosam prolem peperit, & post tantam sobolem in lucem editam adhuc esse robustam, & diu victuram. Gloriētur esse bellicosam, quæ tot Monasteria evertit, tot & tam magnos thesauros sponsæ Christi abstulit, & tot Sacramēta è medio sustulit.

Sed

Sed nemo illorum novit, quâ parte conſcientiam tuam premat, novitia illa, & delicata hæreſis, quæ ſeveram Monachorum, *perfectorum Chriſtianorum* pietatem nón tulit unquam, nec feret. Chriſtianorum perfectio eſt, relinquere omnia cum Apoſtolis, & ſequi Chriſtum. Apoſtolica perfectio eſt, mundi lucra fugere, & pro ſtercoribus habere, ut Chriſtum lucrentur. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* (Matth. 18. v. 3.) Noſtri Catholici, *qui aures habent ad audiendum,* minis Redemptoris territi mundum deſerunt, & *parvuli facti* ſeverâ lege inter Monachos in via ſalutis proficiunt. Lutherus ipſe damnatis olim humanæ vitæ erroribus, ex mundo migravit in Monaſterium; in quo multis annis non Medicus, ſed æger habitavit, ulcerum ſuorum medicinam expectans. At at hinc illæ lacrymæ, *qui manum miſerat ad aratrum, reſpexit retrò; qui cæperat ſumptu idoneo turrim cœleſtem ædificare, jactis fundamentis ab opere ſalutis deſtitit; qui dixerat, Pater peccavi in cælum, & coram te, relicto Patre reconciliato, & pane domeſtico, abijt denuò ad ſiliquas comedendas; Iſraelita ex deſerto ad Ægyptiacam ſervitutem reverſus, corvus ad cadavera, canis ad vomitum.* Petrus majori amore Chriſtum complectens quàm cæteri diſcipuli,

in Evangelio audire meruit, *Pasce oves meas*. Lutherus odio vitæ Monasticæ, prospiciens per fenestram Monasterij, ad saltum & fugam paratus, audire meruit, *Canis foras, & custodi porcos. Cresce & multiplicare: & canes gigne te dignos, non Ecclesiasticos, sed hæreticos pro tua hæresi latraturos.* Uxor tua pariet tibi OSIANDRINOS, MAIORISTAS, FLACCEANOS, SYNERGISTAS, UBIQUETARIOS, SUBSTANTIARIOS, ACCIDENTARIOS. *Deinde, si non vult uxor, veniat ancilla, & pariet tibi* ANABAPTISTAS, CALVINISTAS, BRUNISTAS, ZWINGLIANOS, TIGURINOS, PURITANOS. Ita habes benedictionem datam fugitivo Monacho, Ecclesiæ scilicet Reformatori: qui, ut demonstratet suam ex Monasterio, & Augustinianorum ordine, fugam esse legitimam; & divinitus probatam, prodigium edidit à tempore *Vigilantij* & *Joviniani* usq; ad tempora nostra inauditum. Quo, inquis, monstro, monstrosus est? *Eunuchis propter Regnum Cœlorum castratis, testiculos reddidit, & illorum usum*: quod est, mira-culum Lutheri. Fides Catholica viros mutat in Eunuchos, & pfectos Christianos castrat propter regnum cœlorum. Lutherana ex capis facit Gallos. Catholica ex carnalibus facit spirituales: Lutherana ex spiritualibus carnales. Catholica ex peccatoribus

bus facit pænitentes: Lutherana ex pænitentibus peccatores. Perfecti Catholici exclamant cum Petro: *Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Quam mercedem habebunt? Apostolicam. Lutherani voce stentoriâ clamant: *Ecce evertimus omnia Monasteria, & omnes Monachos proscripsimus; Ecce devoravimus omnia bona Ecclesiastica, & sequuti sumus Lutherum.* Quid respondebit Christus? *Ecce Lutherani, & bona illorum opera?* Quid amplius? *Ligatis manibus & pedibus, projicite illos in tenebras exteriores: Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vale, & si sapere adolescens potes, multum profecisti. Viennæ Austriæ, prid. cal. Junij M.DC.XXIX.

EPISTOLA LX. *Lutetiam.*

ERICO GULDENSTERN, *Illustri Sueco. S.*

QUemadmodum sculptor, aut lapicida aliquis, oculos suos, diu in contemplatione occupatos, atq; diuturno intuitu fatigatos ab intentione revocat: sic ego animum negotio literario lassum relaxo, & vires ejus pertinaci studio imminutas jocis liberalibus reparo. Quò plus recessus sumo, eò majores impetus facio. Probè nosti vitam huma-

nam constare otio, & negotio, & utriusq; rationem habendam esse. Si naturæ leges, & mores examines, videbis statim sine longa inquisitione manifestam rerum vicissitudinem: somni & vigiliæ, noctis & diei, lucis & tenebrarum, tempestatis & serenitatis, belli & pacis. Ego postquàm gravibus, serijsq; rebus satis feci, jocosa tracto: & cum quibus jocari licet, jocor. Vidi non ita pridem ritus Academicos, quibus in Germania cornua, ut vocant, Beanorum deponuntur. Duo erant Depositores, qui detectâ facie fabulam agebant cũ quinquaginta Beanis. Papæ! quàm frigidè in summo æstu; quàm jejunè in maxima saturitate; quàm illepidè in loco lepido personas suas sustinebant Beanorum Imperatores! à quibus expectabatur nihil, nisi lepidum, facetum, argutum. Parum abfuit, quin ego confidẽtiam in ventrem sumpsissem, & feroces istos Asinorum Dominos dominio suo exuissem. Si mihi fuisset stimulus in manu, fortassis ipsos depositores deposuissem: ita stomachum mihi movebant homines inficeti, insulsi, illepidi. Dabant nescio quid malè elixum, malè assatũ, malè frixum, malè tostum. Quotquot oculos in me conjectos habebant, in ipso statim vultu, & corrugatâ fronte nauseam meam legebant,

bant,& iram meam timebant: ita oculos ſcintillantes monſtravi. Ah,regem me eſſe oportuit. Ponderavi pugnos, paratos in ſoporem collocare nudos iſtos Imperatores, qui volebant quidem videri familiares; ſed non longè aberant ab infortunio,& lumbifragio. Vis jusjurandum? credes mihi hac vice injurato, animum meum non fuiſſe tunc temporis in patinis, ſed in tergis depoſitorum. Sed poſtquam bilem in Academia collectam concoxiſſem, & ad meipſum redijſſem, cæpi quietâ mente domi expiſcari, quid illos Depoſitores tam infacundos,& illepidos feciſſet. In regno Sueciæ, etiam fæminæ ad ejuſmodi Academica gaudia, & literatas nugas admittuntur, ut meminiſti factum me regnante Upſaliæ: hîc in Germania excluduntur, quæ ſuâ garrulitate Depoſitores in Suecia faciunt facundos, facetos, lepidos. Lutherus nullum credit eſſe lautum, lætumque convivium, ubi mulier non eſt: Eraſmus citra ſtultitię condimentum, nullum omnino ſuave eſſe. Oblectant autem plerunque mulieres,& exhilarant viros, non aliâ re, quàm ſtultitia, quod eſt contra fidem Lutheranorum. Sed Eraſmus, ut probet hoc eſſe verum, jubet illos conſiderare, quas Lutherus cum ſua Catharina protulerit ineptias.

qua-

quas exercuerit nugas, quoties decrevit fæmineâ voluptate uti. Politicorum in Gallia axioma est; neminem esse amatoriè disertum, & civiliter doctum, qui in fæminarum ludo nō fuerit doctus. *Mulierem fortem quis inveniet?* Nichts liebers ist auff Erden / dann Frawen Lieb/wens kan werden. Illum locum Scripturæ Lutherus nunquam tam feliciter, & amabiliter exposuisset, nisi fuisset muliercularum discipulus, & suæ Catharinæ molliculus caseus. Inter Lutheranos, infacundus est concionator, qui uxorem non habet domi, & foris facundam. Ita illæ bellatulæ, dicaculæ, & prorsus argutulæ, sacram suis cultoribus eloquentiam adfricant: & in hoc articnlo credēdum est Luthero. Quod arcanum, si scirent Depositores in Academijs Germaniæ, mulierculis ostium non clauderent, quæ solo aspectu, & contactu tam suavem tradunt eloquentiam. Verùm enim verò, nisi me fallit conjectura, depositores cornuum alienorum in Germania, studio sibi cavent à mulieribus, quas non sine ratione excludunt ab illo loco, in quo cornua sunt exuenda, non induenda. Quippe fæminarum est cornua obtrudere, non tollere: plantare & generare, non abalienare. ab-

Si natura daret tibi cornua, tollere posses
Quod tibi nupta dedit, tollere nemo potest.

Sed quæ non fecisti ipse, tua non vocas. Mirantur Calvinistæ, quo jure Calvinus ob furtiva conjugis suæ negocia, cornua gestaverit. Mirantur Lutherani, quo jure crimen Catharinæ, scriptum fuerit in fronte Lutheri, mirari desinant: quia uterq; caput fuit.

Si quando sacra jura thori violaverit uxor
Cur gerit immerito cornua vir? caput est.

Hîc tu exclamabis voce summâ quoad vires valent,

Felix quem faciunt aliena cornua cautum.

Finio tandem votorum plenus, ut omnia tibi votiva ex voto meo contingant.

Et tua Penelope tecum feliciter annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Vale. Viennæ Austriæ, Prid. Id. Junij. M.DC. XXIX.

EPI.

EPISTOLA LXI.

EX.^mo Dño, Dño VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg, &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignißimo, Domino meo colendiß. S.*

QUod plerīq; vel metu compulsi, vel cōmodo aliquo allecti consequuntur, ut viros suâ, & majorum virtute excellentes, & in eminenti dignitatis loco positos debito honore prosequantur, id natura ab ipsis incunabulis, & cum lacte matris mihi impressisse videtur. Hinc mea verecundia, quâ adductus hactenus nec volui, nec potui Tibi molestus esse in exigendo meo salario. Imperasti quidē Quæstori, ut mihi satisfaceret; sed aquā citiùs è pumice elicuissem, quàm ab ipso nummos aureos. Durum mihi videtur libellū supplicem offerre servo, postquā Dominū ipsum exoravi. Tuæ enim humanitati injuriam facit, qui post Te rogari vult. Nam ex eo, quod numeraturus est, nihil potest suæ gratię adjicere, quod Tuæ non detrahat. Tua benignitas properavit, sed Quæstoris claudicat. Papę! quàm multa sunt in prudentia civili, quæ me huc atq; illuc impellunt, ut sæpè nesciam, quid facto opus sit. Magna est ingeniorum varietas, & ani-

animorum differentia. Sunt quidam Domini, qui nullam mercedem solvunt, nisi rogati sæpius, & molestis precibus fatigati. Sunt alij, qui dum rogantur, offenduntur: qui malunt honestis precibus obviam ire, quàm audire molestum illud verbum, onerosum, & dimisso vultu dicendum, ROGO. Adolescens quidam Ponticus pollicebatur se rationē Antisthenis habiturum, si navis ipsius, quæ salsamenta vehebat, appulisset. Antisthenes accepto novo vase, unà cum adolescente ibat ad mulierem, quæ vendebat farinam, & impleto vase, cæpit onustus discedere. Mulieri verò poscenti farinæ pretium, commonstrato adolescēte: Hic, inquit, dabit, si navis cum salsamentis appulerit. Idem ego facerem cum nostro Quæstore, si fas esset exemplum imitari. Sed utar prudentia Socratis, & dicam: Emissem mihi honestas vestes, loco & tempori congruas, si pecuniam habuissem. Fortassis civiliter admonitus discet, injurium esse magnoperè flagitare, quod sperem, ne quod voluntarium esse debet, videatur extortum. Ita malo cum Tua EX.a philosophari, quàm cum Quæstore rixari. Viennæ 15. cal. Junij, M.DC. XXIX.

EPI-

EPISTOLA LXII. *Monachium.*

THEOPHILO DUBITANTIO S.

QUemadmodum nihil est molestius, tædiosius, intollerabilius, quàm salutem nimis diu, ne dicam frustra expectare: ita nemo est tam meticulosus, quin semel malit cadere, quàm semper pendere. Tu longâ rerum necessariarum expectatione lassus, & ad desperationem adactus restim emisti, & suspendisti te. Sed literæ meæ, in ipso tempore, quod est omnium primum, allatæ, præciderunt tibi laqueum, & fecerunt te ex Stoico pensili, peripateticum sursum deorsum cursitantem, & quassantem caput. Ita opportunè admodum porrexi brachium ad salutem, & te salvere jussi voce summâ, quoad vires valebant. Timon inhumanus ille Philosophus, generis humani osor, in foro conscendit aliquando locum excelsum, & circum circa prospiciens populum convocavit, quo concurrente, facto manu silentio, quum omnes magnum quiddam expectarent, quod novum & insolens esset, Timonem videre concionabundum, dixit: Viri Athenienses, post ædes meas hortulus est, in eoq; ficus, unde multi se jam suspen-

ſuſpenderunt. Eo in loco decrevi ædes exſtruere: proinde viſum eſt mihi conſultum, hoc publicitus denunciare,ut, ſi qui etiamnum velint ſe ſuſpendere properent, priuſquã excidatur. Ejuſmodi concionatorem tu fortè Oenoponti audiviſti, qui te ad hortulum Timonis invitavit, non ut ficus comederes, ſed ut faceres ex te literam longam. Abeat in malam rem cum ſuo hortulo, & fatali ſua arbore Timon, mala mens, malus animus: divertamus nos Philoſophi Chriſtiani ad hortulos Religioſorum, quibus eſt inſcriptum: *Hoſpes, hic bene habebis, hic ſummum bonum voluptas eſt.* Quæ,inquis,voluptas? non illa,quæ cum maximè delectat,extinguitur; levis,fugax,& per omnem vitam pænitenda: ſed ſtabilis,firma, beatifica. Cum adieris hos hortulos, à Stoa ad Peripatum religioſum converſus,occurret tibi candidato; ſacras fores pulſanti, ſacri illius loci cuſtos, humanus, benignus,hoſpitalis: & poſt dextram fidemq; datam,latrantem tuum fame ventriculum polentâ ſaturabit,inteſtina tua inanitate murmurantia pulmento implebit,& aquam quoq; liberaliter ſuppeditabit. Si poſſet Monachus vivere ſine cibo & potu,etiam hordeaceo pani,& aquæ parceret; in quibus non eſt multum voluptatis: & tamen

S men

men summa est Monachi voluptas posse etiā ex vilissimo victu voluptatē capere. Ego quoties vitam Monachorum considero, & crebra illorum jejunia mecum perpendo, non videntur mihi rem novam, & admirabilem prę̨stare. Quare? quia tot millia captivorum, tot millia mendicorum, tot millia pauperum idem faciunt. Sed illo nomine gloriari possunt, sibique gratulari, quod faciunt coacti suâ voluntate, id est, non coacti. Cæterum si mihi fas esset periculum facere virium tuarum, & animi tui robur tentare; auderem tibi ex consilio Monachorum suadere, ut singulis mensibus certos eligas dies, quibus pane & aquâ contentus, hirtâ & horridâ veste tectus insusurres tibi: Hæccine sunt, in quibus timebas pænitentiam agere? Huic victui & amictui, per triduum asuesce, interdum pluribus diebus, ut non lusus & jocus sit, sed certum virium tuarum documentum, quid ferre possint, aut pati recusent. Hîc tu me relegas ad hortulum Timonis, & ejus ficum, ut in illa suspendam religiosa mea præcepta. Vappæ, inquis, & quisquiliæ hominum vappam bibunt, & siliquis vescuntur. Qui utuntur vino vetere sapientes puto. Licet sapere sine toga sordida, sine pallio rimarum pleno, sine lecto humi stra-

ſtrato, ſine ſacco & cilicio. Ignoſce quæſo, quia neſciebam tibi decretum eſſe ſecundum naturam vivere. Hoc, inquis, naturæ repugnat, corpus ſuum duriter, & inclementer tractare, faciles aſpernari munditias, quas homo naturâ mundũ, & elegans animal naturaliter appetit, & à ſordibus abhorret. Frugalitatem exigit Philoſophia non pœnam. Demonax interrogatus, num Philoſophi placentâ veſcerentur? quid, inquit, an tu putas apes ſtultis tantum mellificare? corrupti ſtomachi, & intemperantis ægri eſt, nõ ſolum vilem, ſed etiã tetrum, & horridum cibum ſeligere, rejecto optimo. Ubi nunc ſunt Græci iſti palliati, capite operto, qui ambulant, qui incedunt ſuffarcinati cum libris, qui ajunt ventrem auribus carere, & omnis ſapientiæ expertem eſſe? eos, ſi tu offenderis, ex unoquoque eorum excies crepitum polentarium, qui ventris philoſophiam nobis monſtras ex Plauto. *Miſer*, inquis, *homo eſt, qui ipſe ſibi quod edit, quærit, & id ægrè invenit. Sed ille eſt miſerior, qui & ægre quærit, & nihil invenit. Ille miſerrimus eſt, qui cùm eſſe cupit, quod edat non habet.* Nunquam Græci & Romani tam validè contra virtutes ventris conſpirabunt, quin tanti Philoſophi nomen venerabile, & ſacrum maneat.

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε?
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Quia ergo venter philosophiam, & artes liberales docet, Philosophi non solum cænare lepidè, nitideq; volunt, sed etiam magnificè patriceq; vestiri. Volunt vinum, quod det gutturi gaudium, & cænam ebriam. Socrates, si quid clam Xantippe, suo animo fecit voluptatis, neq; novum, neq; mirum fecit; nec secus, quàm alij. *Nec quisquam est tam ingenio duro, nec tã firmo pectore, quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat bene.* Sed heus, dic mihi hoc, quod te rogo: album an atrum vinum Monachij potas? purpureum panem, an puniceum edis; an luteum? apponuntur ne tibi aves squammosæ, & pisces pennati? Si tibi quid feci, quod placeat, quodq; gratum adversum te fuit, dic mihi, an unquam tibi intestina crepant; quod sentias? Mihi certè ne sis nescius, ubi satursum, nulla crepitant: quando esurio tum murmurant. Extra jocum, nullus mortalium est omni ex parte beatus, nemo omnium suorum votorum compos. Quicquid vult nemo habere potest: illud potest nolle, quod non habet: rebus præsentibus æquo animo uti. Magnam

gnam libertatis partem absolvit bene moratus venter, frugaliter educatus, & contumeliæ patiens. Si viris religiosis credimus, non est difficilè paucos alere ventres, bene eruditos, & nihil aliud desiderantes, quàm impleri. Vis tu ciborum voluptatem spernere? exitum specta. Parum interest, ex quo cibo stercus conficias. Mihi nunc persuasum est, herbas ubi opus fuerit, non pecori tantum, sed etiam meo ventri nasci. Quid enim refert, quid intrudatur in eum, qui ejecturus est, quicquid intravit. Hanc ergo legem nobis dicamus, hanc vitæ normam capiamus, & semel probatam ubiq; servemus, ut corpori tantum faveamus, quantum bonæ valetudinis ratio postulat. Id enim voluit supremus Legislator, qui nobis rectè vivendi jura dedit, ut salutem quæreremus, non delicias. Corpori, ut equo ferocienti, sæpenumero lætius pabulum detrahendum est, ne animo male pareat, & suum rectorem posternat. Sed hæc omnia rectiùs te docebunt suo exemplo viri religiosi, quâm Seneca aliquis Christianus: quia *longum est iter per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Vale. Viennæ, Idib. Junij,
M. DC. XXIX.

EPISTOLA LXIII. Viennam.

GREGORIUS BORASTUS, JAC: HUNTERO. S.

HOdie mihi redditæ sunt literæ tuæ, eò gratiores, quod ab ignoto, nisi quod Schwanius nomen antea miserat, ideóque te salutari jusseram. De religione idem significavit, beneficio in nos singulari, raroq; Ego rerum ignarus, Regis excessum secutus ad Patres Societatis appuli: inde mores, disciplina, religio. Atq; hæc ferè in Polonia: Theologiam apud eosdem Romæ absolvi, in Gallia Jus. Hic irritus in patriam reditus, aliam quoq; omnem spem præcidit. Itaq; genium gentis hujus secutus, ubi externis exigua spes, nisi togæ præsidium implorent, Sacerdotem tardè indui, idq; paulò ante belli hujus tempus. Nihil postea lætum, aut ferè secundum. Quia tamen nondum desperavimus, hærere adhuc libet, donec in pristinum statum res instaurentur, aut pereundi necessitas jubeat excedere. Quod Schwanium rogavi, ut apud Patrem Confessarium Cæsareæ Majestatis mentionem injiceret, movit Vratislaviensis Canonicatus, ubi vetus amicitia in-

inter condiscipulos Romanos hæret. Est tamen non mediocris difficultas ad Cathedralem aspirantibus, ideoq; ad Collegiatam Sanctæ Crucis accessum moliri, inter ea consilia fuit, quæ non putabam magnâ laborare difficultate. Nam & ego publico scripto defendi Patres hîc contra Academiam, eamq; ob rem putabam me gratiam aliquam ibi initurum. A Collegiatâ deinde facilior ad Cathedralẽ ascensus. Sed jam hæc Schwanio sive indicãte, sive tacente dimisi. Et Patrum favores calidos novi facilè etiã evanescere. Hîc mea conditio hæc est. Secretarij titulum jamdiu adeptus, cum toga Capellanatum Regium sumpsi. Ante bellum mihi Salarium fuit varijs è locis mille octingenti floreni Polonici. Belli injuriâ periêre ferè mille. Hærent solùm duo exigui fructus beneficia, alterum Cracoviæ, Calissij alterum. Hinc pedem emovere ad incertas pollicitationes, ętatis hujus non indicaverim. Quadragesimum enim quintum annum paulò post explebo. Pro humanitate tamen erga ignotum gratias habeo maximas. Censurę exempla mitto gemina, quæ quidẽ mitti hæc tabellarij celeritas vix permisit. Ignoscet ergo festinationi: quam etiã ob causam Orestadi ũ, nec alloqui quidem licuit. Sunt & alia quædam

dam inter reconditos labores: Historia Sueciæ ab anno Christi 800. ad Ericum ferè: Nam & Gustavum attigi, rerum & Religionis novatorem. Est & non injucunda Lapponiæ descriptio. Sed quia nullo beneficio ad labores provocamur, facilè hæc delitescent, aut peribunt. Et mihi odium ingeneravit publica ingratitudo. Plura nunc non permittit Tabellarij festinatio. Itaq; hîc finio, feliciaq; omnia precor. Varsavia. prid. cal. Junij, M.DC.XXIX.

EPISTOLA LXIV. Varsaviam.

GREGORIO BORASTO, *Ostrogotho, J. U. & Theologiæ Doctori, S.*

NOn fefellit me tuæ humanitatis genius; qui non tantùm non miraris, quod ignotus tibi scripserim, sed & gratiores fuisse meas interpretaris, quod ab ignoto venerint. Tu pro tuo erga me amore, eo ipso die, quo meas accepisti, rescripsisti. De mea in amando constantia non est, quod dubites, qui pro amicis omnia timeo, pro me nihil, nisi ne parum bonus amicus fuisse videar. Defensionem tuam pro Societate JESU, contra Academicos, Jesuitæ legerunt, & eruditionem tuam laudant, virtutem amant. In Suecia Lutherani

tani frigent, torpent, languent: extra patriam Sueci Catholici omnium virtutum amore calent. Accedant ad ignem fidei Catholicæ frigidi Lutherani, & calescent plus satis. Barbarus hostis, pater iste malorum Mavors mille florenos ex stipendio annuo tibi abstulit. Doleo tantum olei Musarum tuarum lucernæ ereptum esse: sed ex illo naufragio non extinguentur lampades tuæ, *lampades ardentes*. Historiam Sueciæ ab anno Christi 800. ad Ericum ferè contexuisti, addita festivâ Lapponię descriptione: quæ hactenus ex odio in publicam ingratitudinem concepto latuerunt, & nisi oleum affundatur lucernæ tuæ, in tenebris jacebunt. Didicisti fortassis inter hos bellorum tumultus satius esse, quotidie aliquid ex suis vitijs demere, errores suos objurgare, & mala sua sanare, quàm publicâ Regum ac Principum insaniam prodere, ac posteris tradere. Sed ut illa facienda, ita hæc non omittenda. Non arridet tibi virtus gratuita? peribit tanti laboris dignitas, si beneficium mercem facis. Honesta tractas, & publico bono inservis intuitu mercedis humanæ? virtus nihil habet in se laudabile, si quicquam habet venale. Virtutis imperio semper parendum est, & fortiter eundum quocunque nos manu

duxerit, vel ablegaverit, etiam post factam rei familiaris jacturam., Quo, inquis, præmio ditior ero, si reconditos meos labores è tenebris eruero, & publici juris fecero? Quemadmodum prima, & maxima peccantium est pœna peccasse: ita prima & summa benefacientium merces est benefecisse. Si quid fortè subrepserit commodi, pro lucro deputabis.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Quid hîc agatur, quidve actum sit fortassis nō ignoras, qui & multorum sermone, & amicorum literis rerum vicissitudinem expiscaris. Fabulam mundi tibi describere, hoc esset actum agere, & noctuas Athenas ferre. Rex Daniæ militarem animum, & feram hostilitatē abjecisse dicitur, ex Demea factus Mitio: quē in adolescentia necessum est fuisse prodigum, quia in ætate ad senectutem vergente magnū à Cæsare mendicavit malum. Sed nunc desinet esse una litera plus, quàm medicus. Dux Fridlandiæ ante biduum solenniter ingressus est in possessionem Ducatus Meckelburgiensis, quem amiserunt Principes rebelles.

Deprimitur nisi pes alter, non tollitur alter.
Sic casu alterius tollitur alter homo.

Multi sunt, qui magnum istum magni exercitus ducem felicissimum nunc esse credunt, & veni-

venire in societatem tantorum bonorũ optãt. Ut nihil aulicis fortuna eripiat, quicquid non lucrantur pro damno habent. Nemo illorum cursum suæ cupiditatis sistit : omnes altiùs ascendere quærunt. Possem hîc vitijs, & erroribus humanis maledicere, si mihi propositũ esset censuram agere regnantium : qui ubi in cælum sublati, & superiùs cænaculum lustrati fuerint, tum demum intelligent altissimum dignitatis gradum in hac vita humilem esse locum. De conditione captivorum apud vos Suecorum à te pleniùs erudire cupio, & de nomine istius Hornij quod promisisti. Juva quæso, miseros populares, non secundum jus belli, sed secundum legem charitatis.

I bone quò virtus tua te vocat, I pede fausto.

Viennæ Aust. 14. calend. Julij, M.DC. XXIX.

EPISTOLA LXV.

GREG. BORASTUS, JACOBO HUNTERO. S.

BInæ mihi è Prussia allatæ sunt literæ tuæ, quæ ideò tamdiu circumerrarunt, quod me in Castris quæsierunt, quæ ego tamdiu deserueram. Nihil enim ita ibi gerebatur, ut aspectu eorũ frui liberet. Ab Imperatore magnus quidẽ numerus militũ in subsidiũ

Regni

Regni hujus venit, sed in quibus non plus ingenij, vel industriæ militaris esset, quàm in Polonis. Ideo summa cum ignominia & Cæsaris, & Polonorum, atq; adeò maximo cum detrimento hominum, rerumq;, reliquiæ infelicis belli stipendia, & missionem expectant. Plurimi voluntariâ discessione, aut fugâ, magna etiam vis fame, morboq; excessit. Octo millia è nostris partibus interijsse feruntur peste & commeatus penuriâ: quinq; millia Suecorum. Pro victore se tamen gerit Suecus, conditionesq; Polonis Induciarum dat sævas & ignominiosas. Nihil remittit è castris, quæ ad mare sunt, aut portubus opportuna. Vectigal in mari ante Urbem Gedanensem accipiet, quod ei Anglicus, Gallicusque Legatus nullis rationibus eripere potuerunt. Accepit hac æstate bis & trigesies Centena millia florenorum ex uno portu Pruthenico, quem Pilaviã dicunt, quemq; adhuc retinebit, castigatâ tamen mensurâ, modoq; vectigalis accipiendi, ita ut è centum florenis, quinq; tantum in posterum accepturus sit, cum antea 30. acceperit. Induciæ ad sexennium pactę, sic tamen, ut Rex eas cras aut confirmaturus, aut rejecturus sit. Ita nondum mihi hodie constat, quæ Regis sententia sit, cum hæc properante nuncio

cio ſcribere neceſſe fuerit, qui diei ſui leges obſervare tenetur, hodieq; omnino abire. Oxenſternio noſtro major natu filius peſte obijt. Crebra etiam circa Guſtavum funera: ideò procul caſtris ad mare diſceſſit. Cauſas infelicitatis hujus, præſertim in exercitu, tam valido, piget inquirere, vel annotare. Multum ſuſpicioni datur; & neſcio an omnem evadere poſſit Germanicus exercitus. Omnes illic propè à Religione Catholica animis odijſque alieni: crebræ etiam exauditæ voces, mala omnia Cæſari, cujus hucuſq; Sacramentis obſtrictierant, & adhuc ſunt, imprecantium, nec niſi Tyrannum appellantium. Sed hic annus fortunatior hæreticis, quàm Catholicis eſt. Et ego tædio harum rerum, quas vel audivi, vel quarum in caſtris pars fui, hîc ceſſo. Tu benè vale, & conſilia, quæ piè, eruditeq; deſcribis, ex tuo commodo, ſed & viribus accipe, dirigeque. Literas haſce, quas ad Gramay dedi, ita tradas velim, ut certò recipiat. Juſſu enim Regio ſcribo, & intereſt, ut ſecurò reddantur, utq; mihi reſcribat. Varſavia, 4. Octob. M.DC. XXIX.

EPI-

EPISTOLA LXVI. *Spiram.*

NICOLAO A POWISCH, *Nobili Holsato. S.*

SAlutem scriptam dignum est dignis mittere, tibi misi & mitto, quam mereris. Equidem primis meis literis operam dedi bonam, adjutabilem, probam, sapientem & sobriam, quæ te hilarem, lubentem, & lætificantem fecerunt, & pro quibus tu fateris deberi mihi multas gratas gratias. Nec mirum: nam si quid bonis boni fit, esse idem & grave, & gratum solet. Nunquid in principio cessavi verbum doctum dicere? Volo te ex læto lætantem magis efficere, si potes in primo verbo perspicere sapientiam. Ego bono genere natus sum: nihil scio, nisi verum loqui. Tantum inter Christianos Catholicos, & cæteros Christianismi Professores interest, quantum inter mares & fæminas: ne gravius dicam. Isti novitij, *Evangelici scilicet, Puritani, & Protestantes* (sic enim appellari malunt, quám hæretici) novos omnes mores habent, veteres perdiderunt, vitia sua excusare malunt, quàm excutere. Boni verò Catholici virilem ingressi viam, difficilem, asperam, arduam, qualem mon-

ſtravit filius Dei ſpinoſam, inamænam, & novis Chriſtianis inviſam, *panitentiam agunt in ſacco & cilicio.* Novi Evangelici nuper nati, veri Evangelij hoſtes, molliter & blandè admodũ mentiuntur, dum dicunt, *bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem.* A quo, inquis, didicerunt ita mentiri? à patre mendaciorum Luthero: qui ſectatoribus perſuaſit ſua mendacia non eſſe mendacia, ſed verè Evangelica, & Apoſtolica dogmata. Solis hæreticis datum eſt à Satana ita feliciter ſcilicet mentiri. Sed ne quis Evangelicorum miraretur Lutherum deſeruiſſe vitam Monaſticam, vitam religioſam, vitam perfectam, invenit locum in Evangelio, ex quo Lutheranicè, id eſt, mendaciter colligeret, bonorum operum ſarcinam eſſe deponendam, volenti ſine impedimento ſcandere cœli ſcalam. *Nam via, quæ ducit ad vitam, anguſta eſt,* Matth. 7. *Neceſſum eſt,* inquit Lutherus, *ut gracilis fias, ſi tranſire vis, & per ſcopulos penetrare: qui bonis operibus onuſti incedunt, ij per hanc viam in cælum penetrare nequeunt.* Poſt Germ. part. 2. fol. 154. Hinc Amſdorffij (qui Wittembergæ primùm cũ Martino & Philippo Theologiæ operam dedit, poſtea Epiſcopatui Noribergico à Friderico Electore præfectus, & à Luthero inauguratus eſt) deteſtandum & blaſ-

blasphemum effatum ; *esse primam & ultimam, simulq́ pessimam, & nocentissimam hæresin, quæ unquam in mundo exorta sit, cum docetur, bona opera ad salutem necessario requiri.* in præfat. in 1. Tom. Jenen. Lutheri. Flaccius quoq; Illyricus, post Ambsdorffium valdè Lutheranicè scripsit, *non solum non necessaria, sed noxia, & perniciosa esse opera ad salutem.* Ita habes tres Heroës Evangelicos, conflantes trinum perfectum mendacium contra Evangelium. Sed ne credas Luthero fieri injuriam, audiamus adhuc maledicentem. *Fides,* inquit, *nisi sit sine omnibus prorsus operibus, non justificat; immo nec fides est.* Tomo 1. proposit. 3. Quod ejus dictum Covvellus protestans Anglus expresse citat, & durum vocat, & à Romana Ecclesia meritò damnatum censet. Deinde in defensione suæ versionis Novi Testamenti, hoc modo delirat: *Si Papista tuus multa vult garrire de hac voce* (SOLA) *ei confestim respondeto: Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, aitq́ Papistam & Asinum esse unum. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim esse Pontificiorum discipuli, sed magistri ac judices. Propterea debet vox sola in meo Novo Testamento manere: etiamsi omnes Papistæ ad insaniam redigantur, tamen non eam inde tollent: pœnitet me, quod non addiderim & illas duas voces,* omnibus & omnium, *videlicet*

delicet sine omnibus omnium legum operibus. Basiliscus solo visu interficit homines, Lutherus *voce Sola* Christianos. Basiliscus reliquos serpentes sibilo fugat, ut solus regnare videatur. Lutherus LIBEROS è corpore suo GENITOS, Absalones suos, id est Sacramentarios. *Maledicta,* inquit, *sint charitas, & concordia Sacramentariorũ in æternum.* cont. articulos Lovaniens. Thes. 27. ita

. — *in vacua regnat Basiliscus arena.*

ô Basilicum captivum! qui in libro suo de captivit. Babylonica, peccatores in carcerem Diaboli compingit, & in peccatis suis confirmat, his verbis: *Ita vides, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum põssunt damnare, nisi sola incredulitas.* Tom. 2. Wittemb. fol. 78. Et hujus rei rationem reddit Lutheranam, sed alibi: *Sicut præter fidem nihil justificat, sic nihil præter infidelitatem peccatum est.* Ecce quàm fortiter credit novorum Evangelicorum Ductor contra Evangelicam, & Apostolicam doctrinam. *Non omnis,* inquit Christus, *qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui est in cœlis,* &c. Matth. 7. *Virgines fatuæ empto oleo reversæ ad*

portam nuptialem, clamant, Dominè, Domine aperi nobis: sed Sponsus respondet, amen, amen dico vobis, non novi vos. Matth. 25. Rem ipsam dicam sine fuco, & fallacijs more majorum: duplex est adventus filij DEI, misericordiæ, & justitiæ. In primo nō vocavit justos, sed *peccatores ad pœnitentiam*; in secundo vocabit nō peccatores, sed *justos, qui egerunt pœnitentiam*: in illo non intravit in judicium, cum debitoribus suis, sed debita eis remisit: in hoc judicabit vivos & mortuos, redditurus singulis secundum opera illorum: in primo justificavit impium in se credentem, in secundo pium & fidelem servum ex suis virtutibus ornabit, & beabit. *Euge bone serve, quinq; talenta à me accepisti, & alia quinq; superlucratus es: fuisti fidelis in paucis, constituam te super multa: intra in gaudium Domini Dei tui.* Matt. 25. In primo adventu Scribis & Pharisæis, mulierem in adulterio deprehensam adducentibus, & quam pænam ejus judicio meruisset rogantibus, dixit: *Qui ex vobis est sine peccato, primum lapidem in illam conjiciat.* Deinde post illorum præ pudore exitum, & fugam, ad fæminam illam conversus percontabatur, ubi essent ejus accusatores, & an aliquis eam condemnasset? Respondenti nullius adhuc sententiâ se condemnatã esse, JESUS dixit: *Neq; ego te condemno:*

vade,

vade, & noli amplius peccare. Joan. 8. In secundo adventu adulteræ & adulteri, meretrices & publicani, omnesq; peccatores veste nuptiali, id est, bonis operibus destituti, non audituri sunt hanc vocem misericordiæ: *Ite, & nolite amplius peccare*, sed illam terribilem: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ipsius.* Matth. 25. Qui bene distinguit, bene docet. Distinguam adhuc inter duplicem hominis justificationem, ut pleniùs videas, me non esse malè doctum à Papistis. Prima hominis justificatio est, quâ ex impio fit pius, ex injusto justus, ex peccatore innocens. Secunda, quâ ex justo fit justior. *Qui justus est, justificetur adhuc.* De prima loquitur Paulus, ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* ad Gal. 2. *Scientes, quod homo non justificetur operibus legis, sed tantũ per fidem in Christum Iesum.* Ita justificati sunt Publicani, latrones, meretrices, Judæi & Græci. *Publicanus, qui nec oculos ad cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. 13. Latro quamvis ex latrocinio ductus sit ad judicem, & à judice in crucem, tamen in ipsa cruce justificatus est. *Non operanti, sed credenti in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.* ad

Rom. cap. 4. 5. Nihil boni fecerat, & data est ipsi remissio peccatorum. Neq; enim injusto, & non jam justificato, diceret Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non illum affecit debito supplicio, sed ornavit indebitâ gratiâ. *Quid meruit? interroget justiciam: inveniet pœnam. Interroget misericordiam? inveniet gratiam Unde vocatur gratia? ab eo, quod gratis datur Quid est gratia? gratis donata, non reddita. Intelligat qui potest, judicet qui potest, utrum majus sit justos creare, quam impios justificare.* August. in Psal. 32. in Joan. tract. 3. & 72. Hæc de prima justitia. De secundâ, quâ ex justo fit justior, ex sancto sanctior, loquitur Joan. Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Item in 1. sua Epist. c. 3. v. 2. 3. *Charissimi, sumus modò filij Dei; sed quid erimus, nondum apparuit: scimus autem, postquam ipse apparuerit nos futuros ei similes: nam videbimus illum sicuti est.* NB. *Et quicunq; habet hanc spem in illo, sanctificat se, sicut ille sanctus est.* Item v. 7: *Nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est, sicut ille justus est.* Paulus verò ad Hebręos 12. v. 14. *Sine sanctificatione nemo videbit Deum.* Et hæc est voluntas atque gratia Servatoris nostri, *ut ipsi serviamus sine timore, in sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.* Luc. 1. v. 74. & 75. Hinc debitores

sumus

ſumus non carni, ut vivamus ſecundum carnem. *Nam ſi vixerimus ſecundum carnem, morie-mur: ſi verò ſpiritu mortificaverimus opera carnis, vivemus. Omnes enim, qui ſpiritu Dei ducuntur, ſunt filij Dei.* ad Rom. 8. Juſtus ex fide ſpiritualiter vivit, terrena calcat, cœleſtia ſitit: omnia lucra mundana *pro ſtercoribus habet*, ut Chriſtum lucretur; orat, vigilat, jejunat, corpus ſuum caſtigat, & in ſervitutem redigit: *quia nec horam, nec diem ſcit, quâ filius hominis venturus eſt.* Si quis fidem perdit, charitatem etiã neceſſe eſt perdat. Non enim poteſt amore proſequi, quod eſſe non credit. Ubi deſinit fides, ibi ceſſat vita juſti. Ubi fides titubat, ibi etiam charitas vacillat. Deficiente fide, deficit oratio; pereunte perit. Ut igitur oratio currat, credendum eſt; & ne fides deficiat, orandum eſt. Fides Deo ſupplicat, privatim, & publicè: ſupplicatio, fidei impetrat firmitatem, ſoliditatem, ſtabilitatem. Hic addam tertiam diſtinctionem, ut habeas triplicem funiculum, qui difficillimè rumpitur. Aliter veniam peccatorum cõſequuntur infideles, aliter fideles, & baptizati in mortalia peccata relapſi. Audiamus, inquis, diſertum. *Fides eſt ex auditu.* Crede non mihi, ſed ſacræ Scripturæ, & antiquis Patribus, novitiorum Doctoribus, ejus

T 3 inter-

interpretibus. Ecce promã tibi verba Arnobij in Psal. 106. pro fide Catholica, contra hæresin Novatiani, ut quod tu nescis, id nobiscũ scias. *Audi*, inquit, *Novatiane: Tu dicis, qui adhuc non sunt redempti, ipsi possunt ad indulgentiam per pænitentiam pervenire. Nos dicimus, illi per fidem solam ad indulgentiam attingunt. Isti autem, qui redempti sunt, non per fidem solam, sed per pænitentiam, perveniunt ad misericordiam redemptoris*, &c. Duobus ergo modis peccata remittuntur, primùm baptismo, deinde pænitentiâ. Sicut nix de cœlo ultrò descendit, ita & gratia baptismi, nullis præcedentibus meritis venit. *Nam dona, & vocatio Dei sunt sine pænitentia.* ad Rom. 11. v. 29. Pænitentia baptizandis non est necessaria, sed baptizatis, de majoribus, & minoribus peccatis pænitendum est. August. de vera & falsa pænit. cap. 8. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Psal. 31. & ad Rom. 4. Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore, & aliqua observatione *sola fide* justificentur apud Deum. Et iterum: *Manifestè beati sunt, quibus sine labore, vel opere aliquo, remittuntur iniquitates, & peccata teguntur; nulla ab his requisita pænitentiæ opera, nisi tantum, ut credant.* Ambr. in cap. 4. ad Rom. Dura verò & laboriosa

riosa est per pænitentiam remissio peccatorũ, cum lavat peccator in lacrymis stratum suũ, & sunt ei lacrymæ panes die, ac nocte; ubi turpanda est facies, quæ contra Dei præceptum purpurisso & cerussâ, & stibio sæpe depicta fuit. Ubi torquendum est corpus, & loris cædendum delicatè nutritum. Ubi longus risus, perpetuo est compensandus fletu. Ubi mollis lectus, & vestes prætiosissimæ asperitate cilicij commutandæ. Hâc viâ usi sunt David, & Ninivitæ in veteri Testamento. In Novo incestuosus ille, qui rem habuit cum sua noverca, & flagitium commisit gentibus inauditum: quem Paulus pro potestate sibi facta tradidit Satanæ ad destructionem carnis, ut spiritus ejus servaretur in die Domini Jesu. 1. ad Cor. 5. *Grandi plaga altâ, & prolixâ opus est medicinâ. Grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem.* Ambr. ad virg. laps. c. 8. Hinc pænæ canonicę, & illarum relaxationes, indulgentiæ, in Ecclesia Catholica usitatæ. *Nisi pænitentiam egerimus, omnes peribimus.* Quid nobis ad hæc omnia respondet *animalis homo, qui non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, stultitiæ propugnator Lutherus? *Tametsi*, inquit, *Papistæ ingentem cumulum locorum scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur, (sicut sanè tam multa sunt ejusmodi loca, ut numerari ne-*

ri nequeant, ac peculiarem librum requirant) ego tamen nihil curo omnia dicta scriptura, si etiam adhuc plura afferentur. Tu Papista valde quidem fastidis, ac ferocem te facis cum scriptura, qua tamen Christo, ut Domino famulus subest. Age sane, innitere famulo, quantum volueris. Ego Christo nitar, vero Magistro, Domino, & Imperatore scriptura: Huic assentiar, & scio nihil eum mihi mentiturum esse. Tom. 1. German. Wittemb. in comment. Gal. 1. ô fatuum caput! non pietatis, non Scripturæ, non Numinis, sed superbiæ suæ causam agit, qui obduratâ fronte mori in peccato suo maluit, quàm peccatum suum mori! Si authoritate priscæ Ecclesiæ, & priscorum Conciliorum, patrumvè consensu, verberes errores Lutheri, tum denique stringit hoc ferrum, nihil se hæc omnia facere; unis Scripturis adhærere. Deinde, si testimonijs scripturæ ejus hæresin premas, ore impudente à verbo Dei ad Christum provocat. Quasi aliud in Evangelio docuisset, aliud Lutheranorum Doctori, fugitivo Monacho revelasset. Hoc à spiritu Satanæ, & aliena mente profectum est. *Deus enim propter peccatum superbiæ, quâ sese Lutherus extulit, quemadmodum pleraq; ipsius scripta testificantur, verum illi spiritum abstulit, ut Prophetis illis,* 3 Reg. 22. *atq; ejus loco iracundum, fastuosum, atq; mendacem spiritum dedit.*

dedit. Luthere, Luthere, inquam, heus heus Luthere, *ex verbis tuis condemnaberis. Scrutamini*, inquit Christus, *Scripturas, quia testimonium perhibent de me.* Lutherus *nihil curat omnia dicta Scripturæ.* Christus in Evangelio per Abrahamum mittit nos ad Mosen & Prophetas: Lutherus ab his ad Christum appellat. *Sed qui Mosen & Prophetas non audit, Christum non audit.* Papistæ à Prophetis, Christo & Apostolis edocti, *ingentem cumulum locorum Scripturæ de necessitate bonorum operum ad salutem adferũt*: Lutherus, Ambsdorffius, Flaccus Illyricus, in regnum Satanæ rapti, & à spiritu diabolico eruditi, docent bona opera non esse necessaria, *sed noxia & perniciosa ad vitam æternam comparandam.* Hîc discant omnes, qui Christi nomen colunt, nullibi loco majori, quàm apud Catholicos esse Scripturas, qui eas ita verentur, & interpretãtur, quemadmodum S. Sanctus illos docuit in Concilijs Oecumenicis per consensum Patrum, & Doctorum Orthodoxorum. Nullam habent spem salutis ægri Lutherani, quos ad contemptum bonorum operum hortatur Lutherus. Quid habent illi monstri, quod ab hoc monstro nõ hauserunt? Gravissimus est morbus, qui â capite Lutheranorum profluit, sub quo non possunt esse sani. Initium salutis, no-

ticia morbi. Sed quo ore Lutherus à Scriptura ad Christum provocat? *Uror*, inquit, *ingenti flammâ indomitæ carnis meæ: ego, qui spiritu fervere deberem, carnis libidine exæstuo*, &c. *Octo dies jam elapsi sunt, quibus nec scribo, nec oro, nec studeo, partim carnis tentationibus vexatus, partim alijs molestijs; sed satis est, quod noverim divitias gratiæ Dei, Agnum, qui tollit peccata mundi: ab eo peccatum nos abstrahere nequit, quamvis fornicationem committeremus, aut homicidium etiam millies in die.* Tom. 1. Epist. ad Philip. fol. 334. *At qui talia faciunt*, inquit Apostolus, *non poßidebunt vitam æternam*. 1. Cor. 6. v. 9. & 10. Gal. 5. v. 19. 20. & 21. Ac ut effusæ libidinis authorem agnoscas, dicit (lib. de vita conjugali) *omnino necessarium esse omnibus rei venereæ usum, magis etiam, quàm cibum, potum, somnum.* Ubi sunt ego illi Eunuchi, qui ex *doctrina Christi se castrarunt propter regnum calorũ?* ubi sunt illi perfecti Christiani, *qui uxores suas reliquerunt propter nomen Christi?* Qui semel verecundiæ fines transivit, illum oportet gnaviter impudentem esse. Proinde ausus est ulterius progredi impurus leno, & inter Christianos ad Mahometicam licentiam proclamare. Serm. de conjug. *Si*, inquit, *non vult uxor, veniat ancilla.* Quid Paulus castitatis Doctor, ad hoc Lutheranicum effatum? *Corrumpunt*, inquit, *bonos*

bonos mores consortia, & colloquia prava. 1. ad Cor. 15. v. 33. Quid amplius? *Nemo*, inquit, *vos seducat, Deus non potest irrideri: nam quod homo seminaverit, metet. Qui enim seminat in carne, de carne metet corruptionem: sed qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* ad Gal. 6. v. 6. 7. 8. Vis plura pro necessitate bonorum operum contra sentinam infamis Apostatæ? *Habes Mosen & Prophetas, audi illos*, sed per interpretes Catholicos, non hæreticos. Perlustra doctrinam Evangelicam & Apostolicam, *oculo non corvino, & fugitivo*, id est, Lutherano: *sed simplici, & columbino*, id est, Catholico. Relinque cadavera Lutheri, & veni ad arcam Ecclesię, ibi aperientur tibi oculi. Noster, inquis, Corvinus reformator, ab Apostolis appellat ad Christum. Scio: sed quid respondet vestro Appellatori? *Qui meos*, inquit, *Apostolos audit, me audit. Qui illos contemnit, me contemnit.* Ergo fugitivus ille corvus, arcæ, id est, Ecclesiæ Catholicæ desertor, non à Scriptura ad Christum provocat, sed ad diabolum: *quem se probè cognitum habere fatetur, & plusquam unum frustrum salis cum illo comedisse, eumq; sibi sapius condormire, quàm suam Catharinam: cujus valida argumenta non potuit solvere.* Sed quem fructum tulit doctrina Lutheri? Vis reum confitentem? En. *Mundus*, inquit, *ex hac*

ex hac doctrina nostra quotidie fit deterior. Iam homines septem diabolis obsidentur, cum prius uno tantũ obsideri solerent. Iam diabolus catervatim in homines irruit, ut nunc sub splendida Evangelij luce longè magis sint avari, astuti, lucro dediti, immisericordes, impuri, feroces, longeq; pejores, quàm prius sub Papatu. in Postilla domestica Jenensi anni 1559. & Noriberg. 1544. in concione primæ Dominicæ Adventus. Accedat nunc ad nobilitatem Lutheranam, & illam flagitijs nobilitet. *Nobilitas,* inquit, *è parte nostra adeò ferox est, & arrogans, ut satis constituere nequeat, capite potius, an pedibus ingredi debeat.* Quid de agricolis, agri Dominici corruptor? *Agricola vicissim usq; eò contumax est & inflatus, ut se Dominum omnium dominorum existimet.* Qui flagitijs nobilitati sunt, nobilitentur adhuc à Comite Palatino Luthero. *Utriq; porro non modò Deum contemnunt, sed ultrò etiam Evangelio furantur, rapiuntq; quod non dederunt, sed dare quoq; tenentur,* Comment. in Psal. 121. Tom. 3. Germ. Wittemb. fol. 253. Quam deinde censuram fert de Principibus Germaniæ, censor omnibus denotandus censoribus, tuus Heros Lutherus? Georgium Saxoniæ Ducem diversis libris appellat *Porcum, canem, asinum, agrestem, furem, impudenter, & apertè mendacem, tyrannum scelere, & nequitiâ plenum, pla-*

neq;

neq; Saxonica domus dedecus. Henricum Ducem Brunswicensem, *effeminatum & ignavum nebulonem, adulterum turpissimum, & deterrimum omnium, quos unquam Sol illuxit, tam sceleratum, ut multi Rotæ supplicio afficiantur, qui vix unum alterumq; quotidianorum ejus peccatorum fecerint, qui coram mundo honestè Princeps appellari nequeat.* Sed quâ fronte trifurcifer objurgat suos Nobiles, Agricolas, Principes de malis operibus; qui alibi docet, scelera sceleratis viam, & aditum patefacere ad gratiam divinam? *Quanto*, inquit Articulo 65. *sceleratior es, tanto citiùs Deus gratiam infundit.* Oportet mendacem Lutherum memorem esse suorum mendaciorum. *Fides*, inquit, Proposit. 3. *nisi sit sine omnibus prorsus operibus, non justificat, immò nec fides est.* Quasi diceret, Arbor nisi sit sine omnibus prorsus fructibus, non vivit, immò nec arbor est. Quercus, nisi sit sine omnibus prorsus glandibus, non alit sues Lutheranas, imò nec quercus est. ô suem Bæoticam! Si hoc modò concionatus fuisset in Smolandia, Smolandi non querneis glandibus illum aluissent, sed fustibus quernis latera ejus contrivissent. Caput Lutheranorum nisi sit sine cerebro, non philosophatur Lutheranicè, immò nec caput est. Movent sylvæ capita, & caput Lutheri demulcere volunt:

lunt : qui nisi dæmonium habuisset in renibus, non habitasset in sinu Catharinæ; immò nec Lutherus fuisset. De similibus idem judicium. Lutherus, si mendacium dixerit, solens suo more fecerit. Qui mentitus est, mentiatur adhuc. *Inter Sanctos*, inquit, *& non Sanctos nullum discrimen est. Nam utriq; peccatores sunt, nisi quod Sanctorum peccata non imputantur, sed tecta latent: injustorum verò imputantur, & detecta sunt. Illorum vulnera impositis malagmatis obligata sunt; horum verò patent, & obligata non sunt. Nihilominus utriq; verè sancij, & verè peccatores existunt.* In argumento Psal. 32: *Homo justus*, inquit artic. 66. *in omni bono opere peccat.* Lutherus, nisi doctus esset à spiritu satanæ, non mentiretur; immò nec Lutherus esset. Lutherani, nisi sint sine omni prorsus justitia & sanctitate, non justificantur, nec sanctificantur, immò nec Lutherani sunt. *Inter justos & injustos, Sanctos & non Sanctos, hoc discrimen est. Iusti habent spem videndi Deum, & sanctificant se, sicut ille sanctus est: nati sunt ex Deo, & non peccant.* 1. Joan. 3. v. 3. & 8. *Injusti sunt ex patre diabolo, & desideria Patris sui implere volunt: faciunt peccatum, & servi sunt peccati.* Joan. 8. v. 34. & 44. *Iusti ex fide vivunt, & spiritu mortificant opera carnis, quærentes quæ sursum sunt, ubi Christus sedet ad dexteram Dei.* ad Rom. 8. v. 13.

v.13.& ad Coloſſ.3.v.1. *Injuſti vivunt ſecundùm carnem,& carnalia quærunt, ut æterno ſupplicio mactentur.* 1.ad Cor.6.v.9. & 10. ad Gal.5.v.19. 20.21. *Iuſti cum timore & tremore operantur ſuam ſalutem; & bonis operibus certam faciunt vocationem & electionem ſuam.* 2.Pet.1.v.10. *Injuſti ſine timore & tremore ad æternam ſui damnationem currunt,& malis operibus certam faciunt reprobationem ſuam. Iuſti in ſpiritu ſeminant,& de ſpiritu metent vitam æternam. Injuſti ſeminant in carne,& de carne metent corruptionem.* ad Gal.6.v.8. *Et qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam: qui verò mala,in ignem æternum.* Joan.5.v.29. Quiſquis ergo dicit, quod Evangelium Chriſti bona opera non requirat,tanquam neceſſaria ad ſalutem, mendax eſt. In Lutheraniſmo vix eſt decimus quiſq;,qui hoc novit. Deus bone! fidei Lutheranicæ fides Catholica quid præſtat? Lutherano Catholicus quid intereſt? Tam impoſſibile eſt Lutherum non eſſe hæreticum, quàm Lutherum non eſſe mendacem. *Coram Deo,*inquit artic.97. *operibus non indigemus. Coram Deo nulla re indigemus,niſi nudâ fide.* Quaſi diceret, *Lampades non egent oleo: bonæ arbores non egent bonis fructibus: Convivæ vocati ad nuptias cæleſtes,non egent veſte nuptiali.* Hanc fatuam philoſophiam didicit in ſinu fatuæ virginis, quam

in

in uxorem duxit fatuus Monachus. *Duxerunt in bonis dies suos fatua uxor, & fatuus maritus : & in puncto descenderunt in infernum. Vbi non erunt duo in carne una. Quisquis ergo dicit, quod* Evangeliū secundum Lutherum *bona opera requirat ad salutem, mendax est.* colloq. mensal. Germ. fol. 175. b. Lutherus mendax vixit, mendax mortuus est. Meminerint Lutherani se esse Lutheranos à patre Luthero : & filios cum genitore perituros; nisi pulli corvi relinquant cadavera, & redeant ad arcam, quam Corvus Lutheranorum pater deseruit. Vale. Viennæ Austriæ, 5. Id. Julij. M.DC. XXIX.

EPISTOLA LXVII.

Illust.^mo^ & Excellentiss.^mo^ Dn̄. Dn̄. VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

SI convitia æquo animo admitto, ne laudes quidem sentiam : aliter moveor, dum caput mihi demulcetur, aliter dum stimulatur. Stoicos quidem amo, & omnes sapientiæ Professores, tanquam publicos pædagogos veneror. Sed neq; ex Academia, neq; ex Lycæo,

cæo; neq; Stoa invulnerabilis factus sum. Disputare cum Socrate; dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere possum: hominis verò naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere non possum. Ubi pungor, secor, uror, ibi vocem non contineo: sed vel flebilem, vel querulam edo. Quoties ex injuria aliqua mihi illata ebullitionem sanguinis circa cor patior, toties irascor: irâ accensus colorem muto: aut expallesco, aut erubesco. Tam ego homo sum, quàm alij. Quidam nunquàm magis quàm cum erubuerint formidandi sunt, quasi omnem verecundiam profligarint, omnes decori immemores. Sylla tunc erat truculentissimus, cum facies ejus sanguinis tincturâ purpurarat. Alij cum expalluerint, magis timendi sunt. Cæsar familiaribus suis admonentibus, ut sibi caveret ab Antonio & Dolabella: Non istos, inquit, metuo rubicundos, & obesos; sed graciles illos, & pallidos, ostenso Bruto ac Cassio. Nec fefellit illum suspicio; ab illis enim occisus est. Adversus pallorem, & ruborem faciei, sicut & alia naturalia corporis, aut animi vitia, sapiētia parū potest, parū proficit: sui juris sunt, injussa veniūt, injussa recednnt. Quæcunq; enim nobis adfricat mixtura primarum qualitatum,

& temperamentum naturale, animo multum diúq; composito, multis vitijs privato, sapienti quoq; adhærebunt. Inviti pallescimus, inviti erubescimus. Quidam animosi satis, fortes & robusti in conspectu populi sudant, non aliter, quàm si violento aliquo corporis exercitio incaluissent, motu fatigati, & æstu laborantes. Quidam in publico dicturi, & verba ad populum facturi tremũt, animum & colorem abijciunt: quemadmodum ipse eloquentiæ Romanæ parens Cicero, qui semper cum metu dicere incepit. Nihil erat mollius ore Pompeji, qui nunquam non coram pluribus erubuit: nonnulli dentium collisionem, & labiorum concursum patiuntur, alij balbutiunt, alij prorsus obmutescunt. Hæc & similia vitia nullo usu ponuntur, nullâ disciplinâ excutiuntur, nullâ sapientiâ profligantur: sed natura vim suam exercet, & milites etiam veteranos im becillitatis suæ admonet.

Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurrit.

Quorsum hæc omnia? ut Tua Ex.ª eò libentiùs, faciliùs, & promptiùs vitijs naturalibus veniam det, & vultui meo alterutram valetudinem mentienti, modò pallidò, modò rubicundo faveat. Iratus ego nuper fui, nescio quibus, & iram vultu prodidi: detur mihi spa-

ſpatium, quo ad memoriam,& examen revocare quid fecerim poſſum, meipſum caſtigabo. Plus mihi nocebit ira,quàm injuria. Sed proprium eſt magnitudinis veræ; non ſe ſentire percuſſum. Viennæ Auſtriæ, 13. cal.Sept. M. DC. XXIX.

EPISTOLA LXVIII. Varſaviam.

GREGORIO BORASTO, *Oſtrogotho, J. U. & Theologiæ Doctori, S.*

SI in caſtris Polonorum tibi bene eſt, gaudeo: mihi res eſt cum domeſtico hoſte, qui breves aliquando inducias concedit, optatam pacem, & certam animi tranquillitatem nunquam.Nunc aperto marte,nunc ex inſidijs tentor: victor,& victus. Magnum negotium in manibus eſt, quod magnã moleſtiã mihi creat. Neſcio quid velim, niſi illo momento,quo volo. Poſtulata deſero, deſerta repoſtulo: cupiditas mea,& pœnitentia ultrò citroque commeant, alternatim ſe pellunt. Vitam propoſitis diverſiſſimis ſcindo, nunc hoc, nunc illud mihi placet, aliud ex alio diſplicet. Conſilia,quæ probavi,reprobo: vota concepta rejicio: modò vita Monaſtica,& contemplativa; in qua ulcera humana

curantur, mihi arridet: modò activa mihi potior videtur; quæ naufrago manum porrigit, erranti viam monstrat, cum esuriente panem suum dividit, & opem fert captis, ægis, egentibus.

Homo sum, humani à me nihil alienum puto,

Video ubi sit via angusta, quæ ducit ad vitam beatam, sed non sum audax felicitatis candidatus: melius laudo honesta, quàm sequor. Vis scire, quæ me remorentur: magni pretij hæc esse arbitror, quibus renunciaturus sum: & postquam probè consideravi illam viam certiorem & securiorem, ad quam meritò transeundum esset, manum mihi injicit, & penulam scindit hujus vitæ, cum qua divortium facturus sum, splendor; quasi iste secessus me in tenebras, & sordes præcipitem daturus sit. Rariùs, & minus diu mecum meditor, quid facto opus sit, & ubi meditatus sum, parum fortiter sto in sanis consilijs; de alio in aliud migro: nec tantùm decreta muto, sed etiam in ea, quæ repudiavi, & condemnavi revolvor. Vita sine firmo proposito vaga est: per lusum, & jocum agitur. Inter cætera mala hoc quoq; habet stultitia mea, semper incipit vivere. Malè vivo, quia quotidie nova vitæ fundamenta pono. Malè milito, quia semper militare incipio.

pio. Mortem venientem hilaris excipere vellem: at at hinc illæ lacrymæ, ad immortalium cognitionem nimis mortalis sum. Non est autem, quod putes me solum ad mortem esse imparatum, aut paucos tergiversari: propemodum omnes morti vicini trepidant, colorem mutant, animum abjiciunt, lacrymas fundũt nihil profuturas, nisi ex odio peccati, & amore Dei fluant. In magnum profectò virum evasit sapientiam adeptus, qui eâdem securitate exit è vita, quâ intravit: qui tam securus moritur, quàm nascitur. Illam securam sapientiam optare licet, sperare non licet, *nescijs utrũ amore, vel odio digni sint, & credentibus pejori in statu esse, foreq; multas lucernas extinctas, quàm fuêre antequam accenderentur.* Vivimus, nescientes quàm diu: morimur, nescientes quando: migramus, nescientes quò: & in hac misera ignorantia edimus, bibimus, dormimus, ridemus, ludimus securi, sine metu mortis, judicij, inferni. ô maledicta securitas, Stoica, non Christiana. Aut nomen mutemus aut mores. Vale. Viennæ Austriæ, 6. Id. August. M.DC. XXIX.

EPISTOLA LXIX. *Viennam.*

CHRISTIANO LAURENTIO Ab Arup, *Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Canonico & Decano, SS. Theologiæ Doctori. S.*

NUdius tertius inter quintam & sextam vespertinam, ego basilicè exornatus, & mirificè facundus ostium tuum pulsavi, viam & aditum patefacturus cuidam Abbati ad tuam hospitalitatem, de qua nihil latere permittit gloriosa fama. Deus bone, quot voluptates mecum tuli, quot risiones, quot jocos, quot sales, saltationes, blanditias, prothymias! Novis tunc moribus imbutus eram, veteribus perditis, vel cænare foris potui, vel lepidum me facere. Amor, voluptas, lepos, venustas, gaudium, jocus, ludus, risus, gratia, decor, hilaritas, meæ umbræ erant: quæ te lubentiorem fecissent, quàm ipsa lubentia est. Verùm enim verò tuus fartor, satorque scelerum, qui foribus tutelam gessit, & quem ego salvere jussi voce summâ quoad vires valebant, cùm animadverteret florem veteris vini nostris naribus objectum esse, qui nostro gutturi gaudium erat daturus, ex tempore fecit se facetum, & negavit te esse

te esse domi. Dixisses gladiatorem sumpsisse consilium in arena. Ibi ego non vulgari iratus iracundiâ, gladiatorio animo viam ad tuum gladiatorem affectavi. Abi sis, inquam, nugator, qui magno conatu magnas nugas agis: abire hinc ne properas grandi gradu, jam ego istos fictos, compositos, crispos, cincinnos tuos unguentatos usq; ex cerebro expellam. Equidem parum abfuit, quin ego tuum sartorem fecissem ex faceto superbum. Quæris quo modo? Ablatus fuisset in culinam, quam nobis frigere ajebat, nō abiisset, si ego fustem sumpsissem. Cum verò intus paveret, & foris formidaret minis meis perterrefactus Davus, culinæ tuæ patronus, ego confestim militem fugitivum ex fuga revocavi. Heus, inquam, tu monstrum furfuraceum, terræ odium, scelerum caput, tribune vapularis, qui modò fænum in cornibus gestabas, & os tam inciviliter calefactum monstrabas, poterisn' liquido jurare tuum dominum nō esse domi, qui omnibus domi esse non tenetur? Primùm, inquit, si noluero, nō respōdebo amplius. Sartor sum, quis me coget sycophantias struere? deinde si negavero, scio vos in malam partem accepturos. Huc accedit, quod jusjurandum rei servandæ, non perdendæ conditū

ſit. Vos autem non veniſtis, niſi ut perdatis, conſumatis,profundatis rem herilem, rem cibariam,ventris noſtri victum. Atq; hîc cæpit tuus paraſitus linguâ factioſus, iners operâ, ſubleſtâ fide lætus, lubens, laudes agere grates,gratiaſq; habere ſalſipotenti,multipotenti Jovis fratri, & Nereo Neptuno, qui te opportunè admodum domo amoviſſent. Hîc egò converſus ad Abbatem rogavi, ecquid is homo ſcitus videretur. Plebiſcitum, inquit, non æquè ſcitum eſt. Tenet omnia. In pectore conditæ ſunt aſtutiæ,meditati ſunt doli doctè. Sed næ illi herclè haud longè abfuit os ab infortunio. Quippe cruciabar lapidem non habere, quo illi maſtigiæ cerebrum excuſſiſſem: immò optabam manibus meis dentifrangibula, quorum ope & operâ nucifrangibula ſuſtuliſſem ex malis hominis mali. Pugni mei geſtiebant ventri victum dare,& dentiloquum mortalem facere, ut cum dentibus linguam excrearet: poſtea in ſoporem collocare nudum. Ille verò ulmorum acheruns,ſaturni hoſtia,tuus carnifex: Si me,inquit,iratus tetigeris,iratus vapulabis.Moleſtus ne ſis, nimium tinnis,reſpondebam ego: an tibi malam rem vis pro maledictis dari? Si me irritaſſis, hodie lumbifragium hinc auferes. Sed ſi tibi

tibi sanum est sinciput, supprime tuum stultiloquium: dicq; nobis sine fallacia, & verborũ circuitione, decrevitnè tuus herus cænare domi, vel foris? Promisit, inquit, foras ad cænam, ne illum censeatis vos vocaturum. Verùm cras nisi quis prius vocaverit illum, vel apud vos cænaverit lepido victu, vino, ornamentis, unguentis, & inter pocula pulpamentis, opiparisq; obsonijs. Dixin' ego in hoc malo masculo esse vobis Atticam eloquentiam? Verè Atticissat, inquit Abbas, non siliciffat. Huic tu mandes, si quid rectè curatum velis. Versutior est quàm rota figularis, nimis doctus ad maleficiendum, facit illud verisimile, quod mendacium est. Nihil hoc docto doctius, domi habet hortum, & condimenta ad omnes mores maleficos: comparat, fabricat, fingit, quod lubet; conglutinat ut hospites magnificè se inferentes ædibus tuis amoveat, & doctos doctè fallat. Quid vis amplius? nos certè callidis dolis compulit, & perpulit Sycophanta, ipsi omnia ut crederemus, & ita decollocavit spes ista cænatica. Sed tamen cogitato mus pusillus, quàm sit sapiens bestia, ætatem, qui uni cubili nũquam committit suã, quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit. Noster Abbas frugalem sibi omni-

no cænam poſtulat: nihil vult præter muſcas, & formicas. Ego delector fumo, ſed modico, qui hoſpites veniſſe ſignificat: illum verò qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles ſolet, tuo ſartori non invideo. Qui ſi nos denuò ad convivium vocatos, conſutis dolis abigere tentaverit: culina Plauti lapides, & fuſtes abundè ſuppeditabit, quibus ſcapularum ejus confidentiam confidenter perfricabimus, perfrictæ frontis oſores, veritatis amatores. Vale. Viennæ Auſtriæ, Prid. Id. Septemb. M.DC. XXIX.

EPISTOLA LXX. *Spiram.*

NICOLAO DE POWISCH, *Nobili Holſato. S.*

ANtiqua veteris Eccleſiæ ſapientia, poſito veræ, & Catholicæ fidei fundamento, mores & diſciplinam ſeveram tradebat, virtutis indagatrix, & vitiorum expultrix. Et tunc longè meliores erant Chriſtiani, crucis diſcipuli. Poſtquam novi Philoſophi prodierunt, ex Monaſterijs fugitivi, veræ pietatis deſertores, ſeveræ legis oſores, voluptariæ vitæ amatores, quærentes locum lepidum in ſinu, & complexu Nonnarum pro-

profanatarum, ubi lepidè habitarent; simplex illa, & aperta Monachorum virtus transfugas deseruit, qui suos discipulos cum ratione insanire docent, desipere non sapere, disputare non vivere. S. Augustinus *ex quo Deo servire cœpit, quomodo difficile est expertus meliores, quàm qui in Monasterijs profecerunt, ita non est expertus pejores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt.* Epist. 137. ad pleb. Hippon. Virgo vestalis scripsit hunc versum.

Felices nuptæ, moriar nisi nubere dulce est.

Rea est incesti.

Heureuse vrayement est la vie,
De la femme qui se marie,
Et de trouuer un bel espoux,
Ie meure, si cela n'est doux.

Hoc modo philosophata est vestalis Lutheri, quæ sub Veneris regno vapulavit, non Jovis. ô diem pulchrum, & celebrem, & venustatis plenũ; quo Monachus Monacham duxit, profanatus profanatam, scelestus scelestam! Dij magni! ut Lutherus lætus fuit, & lætitia differebatur, cum ad illum magna nunciaret Davus gaudia, sua dona deamata, acceptaq; habita esse apud lectissimam suam Catharinam, quæ ex sponsa Christi facta est ancilla mortis, postquam ex Monasterio ivisset in ædem Veneris.

neris. *Melius est,* inquis, *nubere quàm uri.* Hoc Apostoli dictum pertinet ad illam, *quæ non vovit votum perpetuæ castitatis, quæ nondum est pollicita, nondum velata.* Cæterum, *quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam immortali juncta est viro. Et post illas spirituales nuptias, si voluerit nubere communi lege connubij, adulterium perpetrat, & ancilla mortis efficitur*, ex intetpretatione S. Ambrosij ad virginem lapsam, c. 5. Sed hoc ipsum tradiderunt Sancti Dei Apostoli, peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti. *Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ,* ut exponit S. Hieronymus adversus Jovinianum. Quomodo hoc concordat, inquis, cum Paulo, qui docet *Virginem nubentem non peccare?* 1. ad Cor. 7. Respondet Epiphanius quemadmodum Ambrosius ad illud prius. *Meliùs est nubere, quàm uri,* Apostolum loqui de illa virgine, quæ non est dicata Deo. Hic iterum victus provocas ad eundem, dicentem: *doctrinam esse diabolicam prohibentium nubere. Honorabile enim est conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Huic objectioni respondet S. Augustinus lib. contra Faustum, cap. 6. *Illum vetare, & damnare conjugium, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit.* Sed virgo Deo dicata

gra-

graviter sine dubio peccat, quæ Christo sponso superinducit adulterum, interprete Chrysostomo. Rursum prostratus resurgere conaris, & cum Paulo clamas, *Episcopus sit unius uxoris maritus*. At non dicit Apostolus: Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & det operam liberis; *sed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni subditos disciplina.* Non damnatur in Ecclesia Catholica bigamia, immò nec trigamia; sed licet quintò & sextò, & ultra, quomodo & secundo marito rectè nubere, quamvis Apostolus *Bigamos* excludat *à dignitate Sacerdotali*: non eo tamen fine, quod secundæ nuptiæ pro peccato reputentur, sed propter Sacramenti virtutem, ut sit unius uxoris maritus, sicut unius Ecclesiæ unus est quoque Christus. Audi S. Hieronymum in Tit. cap. 1. Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis *illibatas* Deo *oblaturus* est *victimas*. Pelagius Laodicenus Episcopus, quum in juventute duxisset uxorem, in ipso thalamo, primo die nuptiarum, sponsæ persuasit, ut puritatem communi voluptati præponeret. *Histor. Tripart. lib. 7. cap. 14.* Verùm enimverò qui non possunt vitare fornicationem, ducant

uxo-

uxorem antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant. Qui nullo castitatis voto obstrictus uxorem ducit, utiq; nō peccat, quia utitur remedio licito. Si verò hoc spreverit bonum intuitu melioris boni, coronam sibi nectit in cælo meliorem, quod non credunt fugitivi Monachi. Sed quia illis in manu est, quod credant: ego quod dicam, & scribam, id mihi mea in manu est. Qui voverunt, & votum non reddunt, *jure damnantur*, uti docet Paulus exemplo viduarum, quæ voto castitatis obligatæ nubere volunt, sed damnationi obnoxiæ sunt, *quoniam primam fidem irritam fecerunt*, id est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt. Non quia ipsæ nuptiæ damnandæ judicantur, sed damnatur *propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius injerunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt*. August. de bono viduitatis, cap. 9. & 10. His omnibus obstantibus, novi nostri Evangelici, ut probent *se dæmonium habere in renibus*, non verentur apertè docere, *vota perpetua virginitatis, & castitatis non esse facienda, facta verò rumpenda, & liberè rescindenda esse*. Cui Hæresi, & novitiæ libertati oc-

ti occaſionē dedit Lutherus, de quo Eraſmus in Epiſtola ad Danielem Mauchium Ulmanū ita ſcribit; *Montani lepidiſſimis literis, neſcio an vacet nunc reſpondere. Nunciabis illi rem lætam: Lutherus, quod felix fauſtumq; ſit, depoſito philoſophi pallio, duxit uxorem ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natam annos 26. ſed indotatam, & quæ pridem deſierat eſſe veſtalis. Atq; ut ſcias, auſpicatas fuiſſe nuptias, pauculis diebus poſt decantatum hymenæum, nova nupta peperit.* Huic affine eſt, quod ſcribit Baronius in ſuo opere de præſcriptionibus: *Lutherus*, inquit, *heri Monachus, hodie ſponſus, cras maritus, perendie pater.* Ita incomparabilis ille Heros uxorem duxit, Monachus Monacham, filius mortis filiam mortis, & Jovi opulento, inclyto, ſupremo, valido, viripotenti, opes, ſpes bonas, copias commodāti lubens meritoque vitulatus eſt. Hîc tu per mea me obſecras genua, ut ego iſtud Lutheri, patroni tui inſipienter factum ſapienter feram, illiq́ue ignoſcā, quod animi impos, & in veneris prælio ſaucius vini vitio fecerit. Hâc tuâ blandiloquentiâ putas me tam propitium redditum tuo Heroi, quàm propitia eſt Juno Jovi. Profectò inanilogiſta es, non places; mutum accuſas, in mutum conjicis culpam, quod nequit loqui. Nam vinum, ſi fabulari

poſſet

posset, pugnacissimè se defenderet. *Non vinum Monachis imperare; sed vino Monachi moderari solent, qui quidem sobriè, piè, & justè vivunt. Verùm qui improbus est, sive bibit, sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.* Apage istas à me sorores, quæ Monachorum sorbent sanguinem. Sed volenti non fit injuria. Lutherus per omnes juravit Deos superos, atq; inferos, & medioxumos, se nunquam deserturum suam Catharinam. Juravit Catharina per omnes Deas, & supremi Jovis filiam Minervam; per Junonem reginam; spem, opem; venerem noctuvigilam se perseveraturam in complexu amplexantis Lutheri. Juravit profanatus Monachus *in culina natus, in angulo ad lævam manum, in calido ortus loco, ubi rerum omnium bonarum copia est scitissimè*: juravit, inquam, magnus Lutherus; *per omnes Deos magnos, minutosq; & patellarios*, se nunquam repudiaturum suam Catharinam, non si capiundos sibi sciret esse inimicos omnes homines. *Hanc mihi*, inquit, *expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant qui inter nos dissidium volunt: hanc nisi mors mihi adimet nemo.* Ecce quàm sapienter loquitur, & amatoriè. Bene igitur ratio accepti, atque expensi inter Lutherum & Catharinam convenit. Monachus Vestalem amabat, fugitiva fugitivum exoscu-

laba-

labatur, venerabatur, amplexabatur: meritò id fieri uterq; existimavit. Lutherus Catharinæ ocellus, & molliculus caseus. Catharina Lutheri voluptas, amænitas, salus, fortuna, lux, gaudium. At at hinc illæ lacrymæ, lætitia Lutheri, tristicia Ecclesiæ: deliciæ Monachi fugitivi, mæstica Angelorum: Lutheri amica mammeata, religiosæ vitæ inimica, mel illius, fel Ecclesiæ. Hæc qui dolent, gaudebũt perpetuo suo semper bono. Vides abominandum Lutheranæ hæreseos principium? Qualis rex, talis grex. *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus. Non potest mala arbor ferre bonos fructus.* Nunc si quis percontetur novos Evangelicos, quamobrem Lutherus, & Henricus VIII. magnæ Britanniæ Rex à raptu virginum, & generationibus exorsi sunt suum Evangelium? Is sibi responsum hoc habeat: *in medio omnibus palmam esse positam, qui virginitatem rapiunt. Virginitas*, ajunt, *rapi gaudet, & huic raptioni virgines opponunt, non claudunt ostium.* Initium Evangelij deformatæ Ecclesiæ hoc est: *Lutherus genuit Carolostadium: Carolostadius autem genuit Oecolampadium, Oecolampadius autem genuit Zwinglium, Zwinglius autem genuit Calvinum, Calvinus autem genuit Bezam, & fratres ejus,* &c. De hac Evangelicorum *palma in medio posita* in

Anglia extat libellus cum hac inſcriptione, *Purit-anus.* Noſti cætera. Vale. Viennæ Auſt. Prid. cal. Sept. M.DC.XXIX.

EPISTOLA LXXI.

CHRISTIANO LAURENTIO Ab Arup, *Cathedralis Eccleſiæ Vienneñſis Canonico & Decano, SS. Theologiæ Doctori. S.*

SI hodie non regnarent inſulſiſſimi ſalſamentarij, qui cubito naſum emungunt pituitoſum, & ſcabie fruticantem: qui putria ſalſamenta eſurientibus vendunt; qui putore piſcium ementium frontem in rugas contrahunt homines impuriſſimi; iremus profectò ad magnum, atque luculentum prandium ſucci plenum; vino, unguentis, pulpamentis, blandimentis & ornamentis cæteris inſtructiſſimum: quod nobis, & noſtris umbris parat popularis noſter, magnificus convivator Bilfeldius: qui neque edit, neq; emit, niſi quod eſt chariſſimum, & doctis palatis gratiſſimum. Sed aliquot dierum inducias poſcit, ut præteritis eſurialibus ferijs, pro ſua elegantia, & munificentia nos accipiat facetis victibus, copijs, cupedijs, quæ te interim ſpe jucundâ oblectabunt. Probè ſcit

noſter

nôster Lucullus, qui mensam extruit hospitalem, & struices concinnat patinarias, nos velle lepidè, nitideq; apud se prandere, nihil morari barbarico ritu. Demus ergò salsamentariorum oblectationibus veniam, ut lanij suis impetrent. Concedamus illis paucorum dierum imperium, quibus ad abluenda putria salsamenta, nec lacus, nec amnes toti sufficiunt: qui verè quòd dici solet, *inaniter aquam consumunt*. Semper enim piscis piscem olet, etiamsi unguentis oblinas. Quid autem mirum mortuos sic olere, cum pleriq; vivi mox ut capti sunt, olent. Nullus est putor cum piscium fætore conferendus, quòd ab his putrefit etiàm ipse sal, in hoc à natura datus, ut à rebus arceat putrefactionem. In solis piscibus sal non est sal. An est ullum, inquis, fætoris genus corrupto animantium cruore sanieq; pestilentius? Aromata mera sunt, si ad piscium fætorem conferas. Sed si hoc modo philosophari volumus, ipsis Stoicis, & Cynicis nauseã movebimus in foro piscario, & carnario fame periclitantibus. Rem ipsam tamen vel cum Philosophorum periculo dicam. Pisculenti isti homines piscium naturam referunt; pallent, olent, stupent, muti sunt. Abeant hinc in malum cruciatum

 cum

çum suis delicijs venatores maritimi, qui sæpe unicâ unguillâ, crusto panis incoctâ novẽ mactant convivas. Atq; ut paucis exponam salsamentariorum erga rempub. bene merita: per illos inquinatur civitas, inficitur terra, contaminantur flumina, aër etiam & ignis, & si quid aliud est Elementum. Laniones verò non minoribus, neq; paucioribus beneficijs nobiles sunt, quibus in more positum est, pro cuniculis, altiles vendere feles, canes etiam pro leporibus libenter venditarent, si per auriculas, & pedes hirsutos liceret. Ecce quàm feroces sunt, qui imperium habent in bestias; intra mænia mactant tauros ac sues: sed tam impuri sunt mortales, & fædi carnifices, ut reperiantur non pauci ubiq; terrarum, ubique gentium multi, qui malunt habere vicinos decem lenones, quàm unum lanionem. Vis scire quàm graviter oleant laniaria? Consule illos, qui naribus obturatis prætereunt, & aversis oculis ab illorum immunditie. Lanij rectè olent, ubi nihil olent. Nam isti comptuli inter ipsos proci, *qui se unguentis unctitant, ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illicò itidem olent, quasi cum multa jura confundit coquus. Quid oleant nescias, nisi id unum, ut malè olere intelligas.* Inter laniones ergò, & salsamentarios illepidè habitatur,

tatur, impurè prandetur, immundè cænatur. Vale, & te rebus serva secundis. Viennæ Austriæ, 13. cal. Octob. M.DC.XXIX.

EPISTOLA LXXII. Varsaviam.

GREGORIO BORASTO, *Ostrogotho, Theologiæ, & I. V. Doctori*, S.

QUo epistolarum genere nunc utar, familiarine & jocoso, an severo, & gravi? quò me vertam? unde initium sumam? ubi quærar? quos implorem? Paucos certè ex Catholicis sylvæ-ducensibus post Urbem perditam superesse arbitror, qui hoc tempore ridere possint. Capta est Veselia, & calvinizat: expugnata est Sylva Ducis, & ejulat. *Vox in excelsa audita est*, id est, longè lateq; dispersa, *auditur ploratus, & ululatus multus. Rachel plorat filios suos amissos.* Rident hæretici lugentibus Ecclesiasticis. *Filiæ eorum composita: circumornatæ ut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorũ fœtificæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassi. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Psal. 143. Hæreticorum iniquitas floret: Catholicorum innocentia laborat. Operarij *in vinea Christi laborantes*, jejunant, vigilant, orant, negotijs salutis intenti. Hære-

tici, fures & latrones *in eructationibus aperiunt ora sua*, in bello felices debellant Catholicos, furtis & latrocinijs opulenti, magnum habent imperium, exercitum parem, divitijs certant cum divitibus, potentiâ cum potentibus. Sed cur impij hæretici Hollandi vincunt, & vinciunt justos Catholicos? Cur parvuli corripiuntur à dœmonibus? cur justus Rex Poloniæ SIGISMUNDUS *persecutionem patitur propter justiciam*, ab illo robusto venatore, & Urbium expugnatore GUSTAVO ADOLPHO, Suecorum ACHILLE. Nec hoc dico, quod *noverim quemquam justificari in conspectu Domini Dei nostri, & absq; peccato esse. In multis enim offendimus omnes*, inquit Jacobus c. 3. v. 2. Sed quomodo Publicanus in Evangelio, Pharisæi collatione fit justior: Sic Rex Poloniæ, qui tristia, horrenda, & dura tolleratu fert ob amissum regnum hæreditarium, hoste se persequente justior est: oppressus opprimente perfectior, victus victore innocentior. Quod non credunt Lutherani, nec in Suecia, nec in Germania. Absit, inquiunt, à nobis, ut credamus hominem justiorem esse Sueco Deo. At ne sint nescij, etiam Rex SIGISMUNDUS Suecus est. Ergo & ille *Sued* Deus est. Putant fortassis non convenire meæ modestiæ, ut

velim

velim judex esse duorũ Deorum. Sit ita, quando ita putant *Putativi Evangelici*; Deorum litem hîc non faciam meam: hoc tantum quæro, cur Abel justum, Cain occidat injustus? cur sæviente Cæto, & omnia devorante, non solùm minores pisciculi, sed ipse quoq; Propheta devoretur JONAS? cur diabolus tantum valet in seculo, & dominante Deo alter exercet tyrannidem? cur boni & mali, pij & impij, justi & injusti pari naufragio demerguntur? cur Lutheranis & Calvinistis tam prosperè succedit, plorantibus Catholicis in Polonia, Borussia, Flandria, & Provincijs, locisque alijs? cur gloriatur hæreticorum nequitia, & Catholicorum gemitus, atque suspiria multiplicantur? utrum hæc, & his similia casu, an Dei judicio eveniant? Si casu, ubi providentia Dei? Si judicio, ubi justitia Dei? Omnis morbus animæ habet in Scripturis medicamentum suum. Quia ergo multorum animæ ægrotant, & murmurant adversus patientiam Dei, & ejus longaminitati detrahũt, non aspernentur, quæso, saluberrimum poculum, quod illis cælestis medicus in sacris literis benignè propinat, & exhauriendum offerre. Arrigant aures scandalizati, & audiant Dominum loquentem: *Cum accepero tem-*

pus, & ego justitias judicabo. Psal. 74. Tempus enim judicij reservatum est. In hac terra morientium, certamen est, in terra viventium, judiciū erit. Hîc filius Dei non est judex, sed ibi erit. Si enim nunc esset judex, *non vocaret peccatores ad pænitentiam*, nec Hollandos, & Suecos ornaret tot victorijs, tot rapinis, spolijs, furtis, & latrocinijs. Tam bonis quàm malis conduntur Urbes: quæ eripiuntur Catholicis, dantur hæreticis: quas perdunt Hispani, capiunt Hollandi: quas amittunt Poloni, rapiunt Sueci. Ludit de suis fortuna muneribus. Et quæ dedit, aufert: & quæ abstulit, reddit.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Non potest Deus meliùs mortalium mortalia bona in contemptum adducere, quàm permittendo illa à Catholicis ad hæreticos transferri. Illos quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: hos autem, quibus indulgere videtur, quibus favere, molles venturis malis servat. Illos disciplinâ tristiori continet, horum alit audaciam. Illos experitur, & sibi præparat; hos in delicijs vivere sinit, & viâ illâ latâ grassari ad perditionem. Accipiūt peritura perituri. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea: aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur.* Esai. 20. Sennacherib, sive ut mul-

ut multi putant, Nabuchodonosori glorianti atq; dicenti: *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia intellexi*, &c. Sanctus Propheta respondet: *ô stultissime mortalium! Dei iram, tuam putas esse sapientiam, & illius jussionem ad tuam refers fortitudinem?* Quomodo si securis glorietur contra eum, qui securim tenet, & serra contra illum, à quo trahitur, & dicant cuncta opera, quæ per securim & serram fiunt sua arte perfectâ. Et si elevet quispiam virgam, & exaltet baculum ad percutiendum quem voluerit, & ipsa virga ac baculus glorientur, & dicant à se percussum esse, qui percussus est: Sic & hæretici, flagella Dei, & instrumenta iræ divinæ eriguntur in superbiam, & quæ permittuntur à Deo in pœnam peccatorum nostrorum, suæ gloriantur esse virtutis. Sed non est quod magnoperè admiremur terrenam felicitatem in Lutheranis, & Calvinistis malè florentibus: *Quoniam sicut fænum citò arescent, & sicut olera prati citò cadent*. Dixit sapiens in corde suo: *justum & impium judicabit Deus*. In hac verò miseriarum valle sapiens & stultus communi finiuntur interitu: eadem plaga, idem eventus, eadem mors, pares utrumq; angustiæ premunt. Sed ne dixeris; *quid est hoc, aut quid est illud?* Omnia enim suo tempore revelabuntur, quæ

nunc tecta, operta, & inscrutabilia curiosorum ingenia torquent, macerant, affligunt. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius?* Rom. 11. v. 33. Lutherani possunt Ecclesiæ Catholicæ Martyres dare, habere non possunt. Miri sunt mortales, dant quod non habent. ANTELII, Catholici Sueci innocentia, ac virtus lateret, nisi à Lutheranis Suecis accepisset injuriam; dum violatur, effulsit. Magnus fuit vir noster ANTELIUS: sed unde sciremus, si illi sævitia ACHILLEA non dedisset facultatem exhibendæ virtutis. Unde possemus scire, quantum adversus crudelitatem hæreticorum animi habuerit, si inter plausus Lutheranorum consenuisset? opus erat illi ad notitiam sui, experimento: quid potuit pro fide Catholica, nisi moriendo non didicit. Nota erat integritas viri, nota Consulis probitas Proceribus Regni Sueciæ; BRAHIS, OXENSTERNIIS, GULDENSTERNIIS, BIELKIIS, SPARRIIS, HORNIIS, BANNERIS: nota alijs eruditione suâ claris, *Rudbeckijs*, *Botvidis*, *Leneis*, *Salvijs*, *Schroderis*, *Halenis*, *Girsijs*, *Nicodemis*, *Hambreis*, á quibus optimæ vitæ, & innocentiæ suæ testimonium ha-

habet, qui pro nullo crimine, nullo scelere, nullo facinore, solùm pro fide Catholica cervicem præbuit, gladio percussus. ô felicissimum ANTELII caput, pro capite Christo amputatum! *cui reposita est in cælo corona justicia, quam illi reddet justus judex*, qui iterum *venturus est cum gloria jud.ca e vivos, & mortuos*. GEORGIUS URSINUS ob eandem fidem Catholicam quadrigis cursim ad carnificem raptus, equuleo primùm tortus, & longior factus, deinde capite quoq; plexus est. Sed quid illi crudelitas ACHILLEA nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Quò graviora tormenta pro Christo sustinuit, eò majorem gloriam habebit. Ignis aurum probat, equuleus Lutheranus fortem Catholicum. Torsit Carnifex URSINUM, & nihil extorsit præter veritatem fidei Catholicæ. Potest Martyr Christi miser dici, non potest esse. NIAOLAUS CAMPANIUS sorti suæ gratias egit, & fatum suum complexus est. Cui cum diceretur: *Fuisti in Polonia, & Regem* SIGISMUNDUM *vidisti, ejus manum exosculatus*, para te ad mortem, quamvis sis Lutheranus. Si hoc, inquit, peccatum est, non possum negare. Vidi Poloniam, Regem, Reginam, regiamque prolem saluta-

vi

vi, & Lutheranus in patriam redij. *Sed si propter hoc peccatum Polonicum mihi moriendum est, moriar Catholicus.* Dictum factum. Bonum certamen certavit CAMPANIVS. Den Kämpen har kempat een godh Kamp. Levi temporis impensâ invenit, quomodo æternus fieret : ad immortalitatem moriendo pervenit. Ita capitale est in regno Sueciæ profiteri illam fidem, *ad quam Sueci, & Gothi à Paganismo conversi sunt.* Capitale est credere, quod tot Sancti miraculis clari, *quorum adhuc hodie apud illos memoria est sacra,* crediderût. Capitale est fuisse in Polonia, & Regis SIGISMUNDI venerandû vultû venerabiliter aspexisse. ô barbariê Lutheranâ malè sibi consciam ! Laudo, ô proles Carolina, patrizas : abi, Catholicorum te interfectorem, Martyrum creatorem & datorem, id est, Suecorum ACHILLEM judico. Sed non usque eò in possessionem generis Lutherani vitia venerunt, ut dubium sit, an optione eligendi datâ, plures ANTELII, URSINI, CAMPANII in Suecia vivere & mori, quàm GEORGII PETRI, aut ERICI GEORGII velint. *Mors illos consecrat, quorum exitum & qui timent, laudant.* Egon' hos Ecclesiæ Catholicæ Martyres defleam, *quibus datum est non solùm ut in Christû crederent, sed etiam ut pro illo morerentur?* Egon' illos deplo-

rem,

rem, qui æquiore animo passi sunt se rebus humanis eripi, quàm sibi fidem Catholicam? Egon' illos lugeam, qui patiendo pro Christo, alios etiam pati docuerunt, nati in exemplar? *Particeps ego sum, & semper esse cupio Domine* JESU *Christe, Confessorum tuorum, & Martyrum, qui pro te sanguinem suum fuderunt.* Non timeo illos, qui occidunt corpora Catholicorum, sed eum, qui corpora & animas Lutheranorum in gehennam mittet. Non doleo vicem conterraneorum meorum, qui *animas suas posuerunt* pro fide Catholica: sed hæreticorum, qui dum Ecclesiæ Catholicæ dant Martyres, seipsos faciunt diaboli Martyres. Nō quæro inhumanitatem Barbarorum, sed fortium Catholicorum animos desidero. Equuleos, cruces, & tormenta ACHILLEA à me abesse velim: sed si sustinenda fuerint pro fide Catholica, ut me in illis fortiter, honestè, animosè, (sicut militem Christi decet) geram, optabo. Ipsa si cupiat Salus servare prorsus non potest hanc familiam Lutheranorum, qui quod damnarunt, & mactarunt innocentes Catholicos, causam dicent omnibus seculis. Quid est, quod illos infelices in possessione felicitatis æternæ constituere possit? *Non omnis,* inquit Christus, *qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed*

qui

qui facit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis. Matth. 7. v. 21. Hîc Lutherani clamabunt voce ſummâ, quoad vires valent, *Domine, Domine,* nónne Monaſteria, *Eunuchorum propter regnum cœlorum caſtratatorum receptacula fide Lutheranâ, fide Reformatâ evertimus? Nónne ex Monaſterijs fecimus ſtabula vaccarum? Nónne teſticulos Caſtratorum mortuos in virtute Lutheri reſuſcitavimus? Nónne Papiſtas Eunuchorum cœleſtium defenſores, & noſtrorum miraculorum contemptores, irriſores, oſores damnavimus, mactavimus, profligavimus? Nónne Catharinam uxorem Lutheri, vidimus ſummâ diligentiâ elegiſſe Aſinum, qui ſaliret equulam? Nónne pro Luthero & Catharina, Eccleſia noſtra parentibus, pro Eunuchis reſuſcitatis, non conjugij amatoribus, ſed impudicitiæ profeſſoribus, & libidinis ſervis multa bella geſſimus? Nónne multa bona ſacrilegijs noſtris Eccleſiæ Catholicæ abſtulimus? Nónne hæreſin noſtram ijs artibus defendimus, quibus initiò fundavimus?* Tunc filius hominis, Judex vivorum & mortuorum altâ voce reſpondebit glorioſis militibus: *Non novi vos unquam: diſcedite à me operarij iniquitatis: diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Luthero & Lutheranis, Zwinglio & Zwinglianis, Calvino & Calvinianis.* Quippe lucem caſtitatis, puritatis, & ſanctitatis Angelicæ,

licæ, quam ego accendi in Monachis, & Sanctimonialibus, hominibus religiosis, ad gloriam patris mei, illā vos diabolico odio, astutiā & calliditate satanicā extinxistis *in gratiam patris vestri*. Quam ego esurivi, & sitivi justitiam *in hominibus perfectis propter regnum cœlorum castratis*, illam vos impurissimi virginitatis hostes, in nomine Beelzebub è medio Christianismi sustulistis. Discedite à me animarum sanctarum infectores; & interfectores ad patrem vestrum Lutherum, qui homicida est ab initio Lutheranismi, & non perseveravit in veritate: nam veritas non est in illo, neq; in vobis. Ibi invenietis mercedem operibus vestris dignam. Tu vale, & vapulantibus aurem ita pervelle, ut desinat Lutherizare, Zwinglizare, Calvinizare. Viennæ Austriæ, 4. cal. Novemb. M. DC. XXIX.

EPISTOLA LXXIII.

MATTHIÆ VERTEMANNO, *Sacr. Cæs: Majest: Consiliario aulico. S.*

ALijs proficiscentibus ad nuptias heriles, & clamantibus Io triumphe, Io Pęan, vivit Sponsa nostri Herois, vivat Sponsus heros, regnet patronus cum patrona: Ego plau-

plaudentibus applaudo, Sophiam conjugem mihi servans domi, quæ mihi fidem facit: *Melius esse ire ad domum fletus, quàm ad domum risus.* Nec consolatione destituor, quàm diu Princeps nobilitatis Comes Albertus mecum philosophatur: qui quantum in sua Philosophia te absente profecerit, ad nos redux cognosces. Quia verò mentionem feci domus flebilis, casum etiam flebilem, qui in aula nostra Fyrstenbergica nuper contigit, tecum communicabo. Quidam ex Musicis tibi probè notis, aures nostras vocis suæ suavitate oblectare solitus, cujus ipse linguam canorâ voce tinnientem sæpe magna cum admiratione, & voluptate hîc Viennæ audivisti, violentâ nuper, & repentinâ morte apud nos obijt. Quã religionem professus fuerit, sub judice lis est: quippe sine peccatorum suorum confessione rebus humanis valedixit. Sed Musici hîc apud nos superstites, magnâ animi fiduciâ, & singulari erga defunctum amore, conceptis verbis jurant fuisse ab omni peccato mortali immunem: qui si adhuc viveret, *primum lapidem conjiceret in peccatores, sui adulatores.* Sunt etiam nõnulli in sua hæresi de immaculata musici defuncti sanctitate tam pertinaces, ut credant ejus *animulam vagulam, blandulam* ex harmani-

co

co corpuſculo migraſſe rectà ad amæna piorum concilia, & Elyſios campos. Aliorum, inquiunt, ſanctorum animæ paululum ſupra nos commorantur, dum expurgant inhærentia vitia, ſitumq; omnis mortalis ævi excutiũt: noſter heros, qui artem tractavit muſicam, ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas, & ex alto relicta reſpiciens, in ſacro illo cætu philoſophatur cum Scipionibus, Catonibuſque, vitæ mortalis contemptoribus, & mortis beneficio liberis. In re nova vetus uſurpabo verbum, *mentiuntur multa Cantores*. Si anima ſancti, & beati illius Muſici neque in purgatorium, neq; in infernum migravit, illam rectà in cœlum, Angelorum miniſterio fuiſſe translatam, nullus credo. Inquirant alij, utrum ſine peccato mortali lucis hujus uſuram amiſerit, ego certus ſum illum ſine vulnere lethali mortem non obijſſe. Sed ne te fallat hæc fabula de muſico: ſcito luſum eſſe mei ingenij de avicula quadam, quæ caſu, & ruinâ domunculę, in qua ſedebat triſti domicænio laborans, perijt. Quid vis amplius? Equi tui bene ſe habent, & propediem manuum tuarum poppiſmata expectant: laſciviunt enim præ otio, & nimia pabuli lætitia. Ego majorem illum ex tuis qui adhuc ſuperſunt, nuper conſcendi: parum

abfuit quin sessorem dejecisset aulicarum artium insolens, adulari nescius. Dixisses esse alterum Bucephalum, quia sentiebat abesse Alexandrum, & se portare nescio, quem Thomistam, aut Scotistam. In principio saltuum expallui fateor, tanquam Orator aliquis cum metu dicere incipiens: sed postea calefactus, animo recollecto erubui; salvis equo & equite. Ita ex Philosopho factus sum eques, nescio cujus militiæ. Vale, & amorem tuum mihi serva. Viennæ Austriæ, 4. Cal. Decemb. M.DC.XXIX.

EPISTOLA LXXIV. Varsaviam.

GREGORIO BORASTO, *Ostrogotho, Theologiæ, & I. V. Doctori. S.*

Suspectus sum tibi nomine negligentiæ; & malè audio, quod promissis non steterim: malè audire non debeo, quia non mentitus sum. Mentitur, qui contra mentem it, qui aliud dicit, aliud sentit, aliud in lingua promptum, aliud in pectore clusum habet. Ego quando officium scriptionis pollicitus sum, de promptuario animæ meæ syncera prompsi citra omnem fucatam simulationem, qui in aperta fronte animum gesto. Sed non omne pro-

promissum cadit in debitum: subest enim tacita exceptio; si nihil inciderit, quod impediat, si per valetudinem, si per occupationes potiores licuerit. Proficiscar ad nuptias, quia promisi me præstò futurum, quamvis non concoxerim: sed febri, aut alio morbo correptus, domi manebo excusatus. Porrexi brachium audacter, & stipulatâ manu fidem dedi me alicui, vel ducem, vel comitem futurum in exteras nationes: sed prædones omnes aditus occupant, fures & latrones omnia itinera obsident, viatoribus ubiq; insidiantur, quorum sarcinas & crumenas scrutãtur, loculos omnes furtivis manibus, & oculis lustrant; & sæpe cũ auro & argento vitam adimunt: aut si hanc intactatam relinquant, unâ literâ superbiores illos faciunt, quàm Medicos. At ego fodere non didici, & mendicare erubesco. Dabo fidejussorem; aut ipse ero pro amico, quia pollicitus sum: sed non si in incertum ille spondere jubebit, & hic fisco obligabit. Vadimoniũ promittimus, tamen deseritur. Deserentem vis major excusat. *Omnia esse debent eadem, quæ fuerunt cum promitterem, ut promittentis fidem teneas.* Quod ego tibi promisi sanus, æger non præstiti. Eadem lex me defendit, quæ vetat. Sed quæ vetuit scribere, permittet mori:

quod uuum eſt ex vitæ officiis, quamvis incertum quo loco, quo tempore illis ſatisfaciendum ſit. Stoici moriuntur, nō quia ægrotant, ſed quia vivunt: nec dolent ſe nimis citò ex illo hoſpitio migrare, in quo non poſſunt diu diverſari. Deſerendum eſt diverſorium, quid intereſt quo loco, quo tempore deſerant. Omnium mortalium vita, illorum judicio, brevis eſt, etiam Neſtoris, & Statiliæ, quæ inſculpi ſuo monumēto præcepit, *annis ſe nonaginta novem vixiſſe*. Vides, inquit Seneca, aniculam gloriari ſenectute longâ: *quis illam ferre potuiſſet, ſi contigiſſet centeſimum implere*? De Platone lego, quod natali ſuo exſpirarit, & annū unum atq; octogeſimum expleverit, ſine ulla deductione. Ideoq; Magos, qui fortè fortuna Athenis erant immolaviſſe defuncto, amplioris fuiſſe ſortis, quàm humanæ arbitratos, quod conſummaſſet perfectiſſimum numerū, quem novem novies multiplicata componūt. Sed non dubitat vitiorum cenſor in Repub. Stoicorum acerrimus, quin Plato paratus fuiſſet *paucos dies ex iſta ſumma, & Sacrificium remittere*. Socrates bibiturus cicutam dixit Critoni: An opera noſtra ſit probaturus Deus, neſcio: certè ſedulò conati ſumus, ut illi placeremus. Vir ille ſic diffidit factis ſuis, ut

uttamen ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati divinę, bonam spem conceperit fore, ut Deus pro sua bonitate boni consuleret, quod studuisset bene vivere. Profectò mirandus animus in eo, qui Christum ac sacras literas nescivit. Proinde cum hujusmodi quædam legeret Erasmus, parum absuit quin diceret, *Sancte Socrates ora prò nobis.* Ita Roterodamus maluit credo Socratem invocare, quàm sanctam & immaculatam Virginem, DEI genitricem MARIAM, & matrem Domini nostri JESU Christi. Lutherani hic nō sequuntur genium Erasmi: non magis Socratem, quàm Herculem invocant, quos in cælo Zwinglij collocant. Simlerus enim refert Petrum Martyrem in hæresi Sacramentaria mortuum esse, atq; dixisse ad Bulingerum, *se nolle esse in cælo Brentij, quod nusquam est.* Respondet Conradus Schlusselburgius in Theologia Calvinistica: *Ergo manendum tibi erit Martyr in cœlo Zwinglij, cum Hercule & Socrate, id est, in inferno, ubi tu Martyr perpetuus diaboli martyr eris.* Sed absolvo Lutheranos, & Calvinistas ab omnibus benefactis, quæ nulla in illis reperio, & tales dimitto, quales accepi. Qui has perfert Lucas Holstenius, Camerarius Summi Pontificis, multos annos usus est

me valde familiariter in Hollandia, Angliâ, & Gallia: ex qua ante biennium Romam fuit evocatus literis Eminentissimi Cardinalis Barbarini, Patroni sui. Nunc verò in Poloniam ablegatus est cum pileo Cardinalitio, quo Nuntius vester Apostolicus Sanctacrucius ornabitur. In Holstenio nihil magis admiraberis, quàm quod in juventute æquet prudentiam & maturitatem virorum usu atque ætate provectissimorum. Nullum ferè est genus literarum, in quo ille non sit felicissimè versatus, efficaci adeò ingenio, & multiformi ut videatur factus ad omnia. Hunc ego omnibus ingenij doctrinæque præsidijs instructissimum tibi ita commendo, ut nosse velis, cognitum amabis, & omnium bonorum amore dignissimum judicabis. Precor, ut hic annus tibi lætis auspicijs ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior.

Hoc leve si credis, paribus me ulciscere votis.

Vale. Viennæ Austriæ, Prid. Id. Januar. M.DC.XXX.

E PI-

EPISTOLA LXXV. Pragam

ILL.mo ET EX.mo PRINCIPI
ac Dñ. Dñ.

WENCESLAO, *Principi à Lobkowitz, &c. S.*

Multi olim suam ipsi vitam narrarunt, fiduciâ potius morum freti, quàm arrogantiâ impulsi. Ego pro mea simplicitate Tuo favore digna, bonæ tantum conscientiæ pretio adductus, Domini mei facta, moresq; brevi oratione descripsi, & virtutis memoriam prodidi, occasione capta ex nuptijs, quas non ita pridem favente Numine celebravit. Nemo unquã illã purpuram induit, quam nulli ostenderet: nec ego alio fine Panegyricum publicavi, nisi ut publicâ pietatis professione lectores mihi conciliarẽ, & amicos pararem. Est oris prorsus divini illa proferre, quibus nihil liceat addere, vel demere. Comes Albertus, flos Nobilitatis, ad orationis meæ structuram absolvendam pro suo captu non parum contulit: ex cujus honoribus nihil ad patrem nisi voluptas, & impensa pertinebit. Agricola eversis arboribus, quas aut ventus radicitùs evulsit, aut contortus re-

 pen-

pentino impetu turbo perfregit, sobolem ex illis residuam fovet, & amissarum semina statim, plantasq; disponit, quæ adolescunt amissis lætiora. Verùm enim verò si arbor pomis gravida, inclinans ramos, & invitans ad carpendum agricolam delectat: si pastor ex fætu gregis sui utilem voluptatem percipit: si hi, qui catulos avesque, & frivola animorum oblectamenta summâ diligentiâ nutriunt, blandâ mutorum adulatione capiuntur: quidni mihi liceat collectam ex educatione Principis lætitiam prodere, & bonam mentē, Dei donum illi gratulari? Copiam hîc facio Tuæ EX.æ videndi & judicandi, quæ scripsi. In lectione non perdet plus quàm quadrantem horæ, & tantum temporis potest etiam Seneca censore malè collocare, ut deinde iratus surgat se tantum perdidisse. Junior ille Comes pœnitentiam modò agit in jejunio, & planctu. *A planta pedis usq, ad verticem capitis, non est in corpore ejus sanitas.* Ligatæ sunt illi manus, & pedes vincti, quos molestè habet otiosos, donec injunctam à Deo pænitentiam feliciter absolvat. Edendum est? manus & pedes illi desunt: dolendum? & manus & pedes habet. Sed prodibit brevi Deo juvante, post pœnitentiam in morbillis actam, novus ho-

mo,

mo, veteri pelle exutus, novâ indutus. Non mortem, sed morbillos effugiet. *Omnis ista, quæ in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba, ad mortem dispari gradu vadit.* Qui lucis hujus usuram amisit infans vel puer, is mihi videtur tantummodò jentasse in hoc mundo: qui verò adolescens vel juvenis rebus valedixit humanis, reliquit nos ad prandium. Quando quis vivendo pervenit ad septuagesimum annum, jam ipsi tempus est eundi cubitum. Qui centesimum vitæ annum attigit, is meo judicio confecit unum milliare post cœnam. In hanc mortis meditationem conjecerunt me vulnera domestica, & morbilli nimium familiares, nostri cubicularij. *Ex quo pectore mortis metum ejeceris, in id nullius rei timor audebit intrare.* Non est mortale, quod Tuæ EX.æ opto mortalis. Viennæ Austriæ, 3. Cal. Febr. M.DC.XXX.

EPISTOLA LXXVI. *Norimbergam.*

MATTHIÆ VERTEMANNO.

Consiliario Cæsareo aulico. S.

Quod communi patrono nostro Heroi tuo nomine debui, eidem tuo nomine persolvi. Dominus Comes Albertus tuam quoq; salutem alacriter accepit, & suâ

amanter remittit; qui morbillos Medicorum judicio superasse videtur, sed cum febri adhuc continuâ, & quidem hecticâ, quæ interiorem ipsi edit medullam acerrimè conflictatur. Bellum patitur incivivile in corpore civili. Ego illum jam aliquoties tanquam mortuum deflevi: quamvis non sim nescius reperiri nonnullos duræ magis, quàm fortis prudentiæ viros, qui negent dolorem cadere in sapientem. Verùm enim verò ex Peripateticorum sententia, & Christianorum fide, satis præstiterit ratio, si quod nimium, & parum est, ex dolore sustulerit. Nam in vita id apprime utile est, ut NE QUID NIMIS. *Modus omnibus in rebus optimus est habitu. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.*

Virtus est medium vitiorum, & utrinq; reductū.

Illud quod mediū est, atq; inter utrumq; probatur.

Fluant lacrymæ, sed inter excessum & defectū desinant: ducantur altè suspiria, sed eodem modo finiantur. Lacrymæ meæ pignora sunt nolentis, & repugnantis animi vultus index. Nunquam quod cupio, defleo. Magnus ni fallor, amor est, qui ex misericordia provenit: sed fletus humanarum miseriarum verecunda detestatio est. Hunc ego modum Deo favente servabo, qui nec impius est, nec insanus: & in

co

eo volo consistere habitu, qui & piæ mentis est, nec emotæ. *Sed in procinctu stet animus: & id quod necesse est nunquam timeat: quod incertum est, semper exspectet. Bene mori, est libenter mori: cupere dissolvi, & esse cum Christo.* Sed prius, quæso, discamus quid sit vivere. Ubi sciemus, si displicebit vita, tum istoc voto utamur. Rectè currere toto vitæ nostræ curriculo discendũ est: & quod magis fortasse miraberis, toto illo cursu discendum est cursum rectè sistere. Qui potest currere, currat: qui benè quiescere, quiescat. Vale, & philosophanti fave. Viennæ Austriæ, 10. cal. Mart. M. DC. XXX.

EPISTOLA LXXVII. Lutetiam.

GUILHELMO MAZURIO, *Philosopho & Theologo eximio. S.*

SUavitatis tuæ aculeum mihi reliquisti moribus tuis ad omnẽ humanitatem natis, & verborum tuorũ delicijs in albo amicorum meorum expressis, Gallicè hoc modo:

En vous donnant mon nom, je vous donne mon cœur,
Puisque par vos merites, vous en estes vainqueur.

Ego pro mea simplicitate mecum sic cogitabam: qui ex benevolentissimo suo erga me affectu cor suum mihi dedit, quomodo non dabit

dabit cætera cum illo? Qui dedit primum vivens, & ultimum moriens, quid denegare potest illi, qui accepit illud primum? Qui cor ipsum mihi largitus est, non invidebit chartaceum munus. Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatum. Hinc illa fiducia, hinc mea confidentia & audacia auferendi, quod tuum erat, quod ablatum non desinet esse tuũ. Habes tot in Academia Parisiensi discipulos, qui Tractatum illum de tribus globis ab ore tuo exceptum fideliter servant, & unius exempli damnum facilè resarcient. Vides quò provocem? ad indulgentiarum thesaurum, cor tuum, quod mecum circumfero, aliter tecum non contendo. Philippus Macedo, Alexandri Magni pater, cum esset illi clavicula in bello fracta, ac Medicus, à quo curabatur, in singulos omninò dies aliquid posceret: sume, inquit, quantum voles: nam clavem habes. Illam regiam civilitatem Tu imitaris, dum dicis: sume quantum voles Indulgentiarum; nam illarũ thesaurum, cor meum, tecum circumfers. Sit ita, quia ita vis: nunquàm pænitebit debere tali viro humanitatis mutuum. Vale. Viennæ Austriæ. 16. Cal. Maj, M.DC.XXX.

EPI-

EPISTOLA LXXVIII.

CENSORI *ob aulicam censuram vapulanti. S. D.*

INter curionem, curialisque mensæ curatorem, & magnum quondam Beanorum Imperatorem, acerrimum puræ Latinitatis defensorem, simultas nuper incidit. Ego obsequio & observantiâ in Comites cum omnibus, comitate erga alios cum comitibus ipsis certò. Tu in tua hæresi pertinax, pertinaciter negas summâ observantiâ coli Primates, Magnates, Optimates, nisi appellētur gratiosissimi. Rogo te per illam gratiam, quâ Gratiosus es, dic mihi, ubi vel scriptum, vel pictum sit, eminentes Dominos debere à suis humilibus servis vocari Gratiosissimos, & referetur à me tibi, ita ut meritus es, gratia. Dic, inquam, Gratiose, cum bona gratia, ut quod ego nescio, id tecum sciam. In Epistolis, inquis, obscurorum virorum ita statutum, & decretum est. Ha Ha he. Quid rides, inquis? Istud quod dixti modò. Nunquam ero tam avarus, quin te gratis emittam manu, ob tam gratiosum responsum. Sed mallem te Epistolas clarorum virorum, quàm obscurorū imitari.

tari. Ne rideas, inquis, ſtylum curiæ. Curiales non aliter ſcribunt. At ego mallem te cum Politianis politè, quàm cum Politis aulicis impolitè loqui. Quid eſt curialibus ſemidoctis familiarius, quàm dicere aliquem *eſſe in magna reputatione*, pro eſſe magnæ famæ, & exiſtimationis ? Quid crebrius in ore habent, quàm vocem *Reſolutionis* ? quaſi *reſolvere* ſe eſſet aliquid apud ſe ſtatuere, & decernere quid facto opus ſit. Sed apud probatos linguę latinæ authores, *Reputatio* nihil aliud ſignificat, quàm actum reputandi. Illis verò latinitatis corruptoribus, *reputationem perdere*, eſt bonæ famę, & exiſtimationis jacturam facere: Latinæ elegantiæ teſtes idonei, *reſolutionem* uſurpant pro diſſolutione eorum, quæ ligata erant: noſtris curialibus promptitudo eſt ad aliquid ſtatuendum, vel faciendum. Quaſi *reſolutus* eſſet, paratus ad aliquid exequendum. Ita quidam aulici, dum conantur gratiosè loqui, magno conatu loquuntur craſsè, & inquinatè, & pluſquàm ſcholaſticè. *Fuit magnus vir, ſed in aula reputationem ſuam perdidit. Habet bonā ſpem, ſed nondū habet reſolutionem ab Imperatore. Meus amicus non poteſt ſe reſolvere.* Tales phraſes ex aula paſſim exęſtuant, & qui illis nō utitur, ignorat ſtylum aulicū. Quod ſi curiales

les non velint loqui, nisi cum *resolutione*, & *reputatione*; nę ego multam salutem & curiæ dicam & curialibus, vivamq́; sine epistolis obscurorū virorum, politissimis meis Politianis contentus. Abeant in malam rem Scriptores *resoluti, cum suæ reputationis perditione*: & se refelli redarguique patiantur, quod hi ferunt animo iniquo, qui *reputatis* quibusdam *resolutisq́ phrasibus* quasi addicti, & consecrati sunt, eâque necessitate constricti, ut etiam quas non probare soleant, eas cogantur constantiæ causa in gratiam styli scilicet aulici defendere. Sed jam eò unde digressi sumus, revertamur. *Gratiosus est, & rectè dicitur, qui gratiâ apud potentes valet, vel qui illorum favorem sibi facile conciliat, quod ferè fieri solet obsequio, & morum comitate.* Herus autem non indiget gratiâ & favore suorum servorum, quibus sine ulla insinuatione dicere potest. *Vos isthac intrò auferte, abite. Sosia adesdum: paucis te volo.* Præceptum enim Domini breve esse oportet, quo facilius ab imperitis servis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat Herus, non insinuet se in gratiam servorum Heros. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex herilis cum prologo. Et quid quæso aliud est imperium herile in servum, quàm minis mixtum

præ-

præceptum? *Tu verbero si imperium meum contempseris, & columnis non dejieceris operas aranearum, exossabo ego te similiter, itidem ut muranam coquus. Nisi in aulam, ut jussi, veneris, na tu adepol tergo & cruribus consules haud decorè, Si hercle ego te pro tuis maledictis non elinguandum dedero, impero, auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.* Ita malè agendo malam rem effugiet nunquam: at faciendo officium suum servus, gratiam merebitur Domini sui, & gratiósus erit cliens apud Patronum, non hic apud illum. Sed heus tu qui aulicè sentis, & aulicè loqueris: nollem te esse ex illorum numero qui errare malunt, eamq; phrasin quàm adamauerunt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia quod latinissimè, & verissimè dicatur exquirere. Ne obbrutescas quæso pravâ consuetudine, ut vappam adhuc defendas reperto vino vetere, quo qui utuntur, sapientes putantur. Novitiæ istæ loquendi formulæ, barbarie contaminatæ nihil ad meũ palatum: voces & phrases purè latinas amo. Qui inter epistolas obscurorum Virorum nutriuntur, non magis latinè loqui, & scribere possunt, quàm bene olere, qui in culina habitant. Vale. Viennæ Austriæ 4. Id. Junij M. DC, XXX.

EPISTOLA LXXIX.

Illust.^mo & Excellentiss.^mo Dn. Dn.
VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

IN ultimo Tui à nobis discessus articulo, HEROS, vidisti filij Tui oculos madidos, & lacrymas ex pietate fluentes; sine quibus nec voluit, nec debuit à Tuo complexu divelli. Potuisset quidem non dolere cor filij abeunte Patre: melius tamen meo judicio doluit, ut deinde sanaretur, quàm non dolendo fuisset inhumanum. Ego verò crebra ejus suspiria adhuc audio, quibus interiorem amorem, & debitum Tibi affectum satis superq; testatur. Facilè etiam permitto pium ejus cor de Tua absentia contristari dolore sanabili, oculosq; consolabiles lacrymas subinde fundere. Nihil enim sanctius habet reverentia filij, quàm ut Patrem absentem venerabiliter recordetur. Excellentissima Domina, nostra Heroina quotidianis suis visitationibus illum recreat, & alloquijs oblectat. Ita Dominus Comes Albertus magis magisq; devincitur pijssimæ matri de fastigio se nonnihil demit-

tenti; cui comitatis & affabilitatis laudem nō invidet, nec sibi ex ea fructum; qui magnis nunc passibus divinâ favente gratiâ ad pristinam sanitatem recuperandam ire pertendit, multò alacrior, ex quo in partem aulæ anteriorem migravit. Prospicit aliquando per fenestram, aliquando arcum in manibus tenet, & ad scopum collineat, quem glandulis ferit, nostro cum applausu. Potest in lecto cōmodè sedere, sine sensu doloris: & ex balneo aquæ dulcis auferendus seipsum erigit, manusq; nostras adjutrices suo jure poscit. Pleraq; ex vulneribus, quę habuit horrenda consolidata sunt, & illud ipsum, quod sub poplite putabatur insanabile etiam favente Deo propediem sanabitur. Hoc modo paulatim in gratiam cū bona valetudine redit, qui plus quàm alterum pedem in sepulchro habere videbatur: sed sine magno meo dolore rebus humanis non valedixisset, in delicijs semper à me habitus, de meliori luto à natura ad virtutē optimè compositus. Qui enim fieri potuit, ut ejus mors mihi amara non esset, cujus dulcis fuit vita? Neq; propterea Deo immortali invidiam fieri volo, quod immortalitatem suam cum Comite Alberto partiri noluerit: quē tamen, si intelligam denuò deficere vita, jam ipse vitam meam

meam ipsi largiar, & de mea ad illius addam. Audio Præposituram Bremensem vacare, quã inter alios noster Decanus Viennensis ambit favore Tuæ Ex.æ, cujus gratiam me interprete hîc implorat. *Perit procari si latet.* Ego quoque magnificum aliquod malum peto, nesciens quid petam. *Semper mendici molesti sunt.* Facio mei Fortunæ copiam, & præturam ambio, quæ Catones repellit, Vatinios cooptat. Per mala nitor in malum. Sapiam, spero: sed interim non sapio. Unum est necessarium, Deus (ut spero) dabit. Quod utriq; exopto, mihi Clienti, & Tibi Patrono. Viennæ Austriæ, Prid. Id. Junii, M.DC.XXX.

EPISTOLA LXXX. *Ratisbonam.*

JOANNI KIELMANNO, *Secretario Fyrstenbergico. S.*

UBi quis amicorum damnum facit, ibi cæteri vicem ejus deflent. Ego non aliter affici soleo amicorum incommodis, quàm meis. Anxium me habebat tua tussis, quâ laborasti itineri accinctus, & verebar ne in gravius malũ erumperet: nunc doleo te in eodem luto hærere. Non est mihi ferreum pectus, nec cor silice concretũ, quod toties flentibus ocu-

lis, & lacrymis non fucatis in morbo nostri Comitis Alberti prodidi, quoties ejus calamitatem, & humanam miseriam graviter deflevi. Tu quoq; tua mala sentis, quia homo es, nō è saxo sculptus, aut robore dolatus. Sed patienter illa fers, quia vir es: & fortis es, quia præsentia mala sentis, & perfers: atq; ita perfers, ut etiā si duratura videntur, contemnas. Non feras te, quo die aliquid ferre non poteris. Noster stabuli Præfectus, ut audio, perdidit suum canem SCAP, fidelissimum satellitē, nocturnum sui corporis custodem & defensorem. Sed quid mirum? Tam necesse est perire, quàm perdere: & hoc ipsum, si intelligimus, solatium est perdere, quod periturum est. Non mediocri tristitiâ affligebatur ejusmodi damno vulneratus: sed nunc majori delibutus gaudio incedit, quia canem amissum recuperavit. Quis est tam duræ frontis, ut neget nos naturaliter desiderare, quæ nostra sunt. In discessu, quando aliquo locorum intervallo sejungi oportet, sentimus quendam morsum, & animorum contractionem. Mutorum animalium nimis concitata, & violenta sunt desideria, sed brevia. Vaccæ continuo aliquot dierum mugitu aures hominum implent, & interiorem affectum erga fœtum suum perditum mu-

mugiendo, & sursum deorsum currendo testantur: sed vago illo, & inutili discursu fatigatæ, desinunt desiderare quod perijt. Feræ ubi vestigia catulorum suorum, & sylvas concitato cursu lustraverunt, ad cubilia expilata sæpe reversæ, furorē suum intra paucas horas deponunt. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, quiescunt, & deinde sui damni oblitæ volatus suos repetunt. Nullum animal diu cum tristitia amissam sobolem desiderat præterquam homo, qui dolorem suum lacrymis rigat. At miror ego ullum hominem diu lugere se perdidisse, quod necessariò periturum est; cum naturale sit, ut animus semper ab eo refugiat, ad quod cum mœstitia illi redeundum est. Quicquid sit, non macerasset se diuturno luctu Stabuli Magister, etiamsi ejus canis prorsus perijsset, & nunquam redijsset. Gratulor tamen ipsi de suo satellite recepto, & cum gaudente gaudeo, quia vos dolenti condoluistis. Valete, & plaudite. Viennæ Austriæ, Prid. Id. Junij. M.DC.XXX.

EPI-

EPISTOLA LXXXI. Ratisbonam.

Illust.mo & Excelentiss.mo Dn. Dn.
VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo amplis. S.*

HEri Ratisbonam abijt nostra Heroina, quam ad stationem usq; navium comitatus estDominus Comes Albertus, homo post gravissimũ morbum profligatum novus, curru ad aquas Danubij vectus, ubi Illustriss. Patrona navim conscendit, nobisq; valedixit, relictis in domo viginti tribus personis, quarũ caput est filius absente patre. Potuisset meo judicio comodè cymbâ vehi Ratisbonam, qui quotidie se vestiri, & in hortum cum sua sella curuli deferri patitur. Fecit nuper virium suarũ periculum, & post longam, odiosam, & inquietã in morbo quietem loca suburbana lustravit. Quotquot habuimus ex familiaribus obvios, tot salutatores invenimus, gratulantes ipsi felicem, à privatione ad habitum regressum, à morte ad vitam reditũ. Pestis hic Viennæ invalescit, quâ correpti aut in urbe moriũtur, aut ad domum extra sitam pestiferis destinatam incertâ spe abducuntur.

Mille

Mille modis morimur mortales, nascimur uno:
Sunt hominum morbi mille, sed una salus.

Hodie mane ultimus ille in numerum Cursorum admissus, à fratribus misericordiæ ad nos rediit sanitati restitutus, qui redditâ nobis veste nuptiali, quam gestabat, viatico accepto contentus discessit, fortunam suam alibi tentaturus. Pecuniam pro alenda familia hic superstite meæ fidei relictam parcè & fideliter administrabo. Mihi mandet, quod rectè curatum velit Tua EX.a, & me sibi commendatum habeat. Viennæ Austriæ, 14. Cal. Julij. M.DC.XXX.

EPISTOLA LXXXI. *Ratisbonam*

BALTHASARO JOACHIMO *de Terenbach.* S.

NOn soleo ego ambitiosè venari amicitias, potius aspernari consuevi: non quod ex Cynicorum numero sim, qui pro ludibrio ac delectamento habeã Alexandros, sed ex illis Dæmonibus qui quærã, & ambiam Pythias. Hinc mihi in more positũ amicos præsentes coram venerari, absentes mentis nuncio calamo. Patefactæ sunt mihi tuæ amicitiæ fores hîc Viennæ, qui te nunc literis prosequor, quia corpore non licet. Quid

ergo primum ſcribam, quid deinde, quo pacto quieſcam? Alij honores anniverſarios ambiunt, alij perpetuas poteſtates: alij bellorum eventus proſperos & triumphos, alij matrimonia ac liberos: alij divitias, alij ſalutem expetunt. *Non voto vivitur uno*: quia *trahit ſua quemq; voluptas*. Tot millia hominum inquieta, petuntq; mox fugienda: ut ille Libanius, ſervus Agyrippi apud Plautum in Aſinaria, Phileniũ ſalutans, cui Illa & Leonidæ ejus ſocio reſpondet, *dabunt Dij quæ velitis vobis*. *Noctem*, inquit Libanius, *tuã, & vini cadum velim, ſi optata fiant*. Ne Stoici quidem voluptatem contemnunt, quàmvis ſedulò diſſimulantes, milleq; convitijs eam apud vulgus dilacerantes, nimirum ut deterritis alijs Philoſophis ipſi prolixiùs fruantur. Qui genio ſuo indulgentes, ita ſe excuſant, ut dicant *neminem Philoſophorum eſſe tam ingenio duro, aut tam firmo pectore, quin ubi quicquã occaſionis ſit, ſibi faciat bene*. Ego licet homo ſim ad immortalium cognitionem nimis mortalis, opto tamen, quod ſine adverſario optare licet, bonam mentem: *ut ſive in hoc mundo felix ero, ſciam hoc non futurum diu, ſive infelix, ſciam me hoc non eſſe, ſi non putem*. Nec multo opus eſt, nec diu. Totum illum fortunæ apparatum, & quicquid circa me jacet rerum, tanquam di-

ver-

versorij publici utensilia aspicio. Migrandum est. Non licet mihi plus efferre ex hospitali loco, quàm intuli: imò magnam etiam partem illorum, quæ in hanc vitam mecum attuli, hîc relinquam necesse est. Auferetur mihi hæc circumjecta, supremum mei coperculum cutis: adimetur caro, & sanguis cum illa permixtus, qui per totum corpus fluit: detrahentur nervi, ossaq; , quæ sunt quasi columnæ, fulcra, & sustentacula partium fluidarum, ac labentium. Ex hac bonorum caducorum, & mortalium consideratione insanas cupiditates castigare, & modum ac frænos illis imponere contendo. Non volo immodestas esse meas spes, nec ambitiosa nimis desideria. Mediocri fortunâ contentus esse possum; nihil peto præter honestum aliquem locum in aula Cæsarea, & illum quidem favore Procerum, qui viam mihi munire, & aditum parare possunt ad secreta mala. En ambitionem meam. Tu, si Catholicam, & fautricem habes linguam, fave mihi Catholico ob fidem Catholicam in exilium projecto. Vale.

Viennæ Austriæ, 6. Cal. Julij,
M. DC. XXX.

EPISTOLA LXXXIII. *Ratisbonam.*

Illustriss.º & Ampliss.º Dñ. Dñ.

PETRO HENRICO *à Stralendorff,* *Sac: Cæs: Majest: Vice-cancellario, aulici ejus consilij Vice-præsidi. S.*

FElicitas humana pusilla res est, quia neminem satiat, neminem implet. Multis ego videor fortunatus, qui in mea fortuna se Reges putarent, & tamen meâ sorte non sum contentus. An parum, inquiunt, habes, qui nec fame, nec siti, nec frigore periclitaris? Plus Jupiter non habuit, si Stoicis credimus. Mea fortassis simplicitas est, quæ mihi imponit: quippe à quibus longo intervallo remotus jaceo, illa tanquam excelsa admiror. Illis verò, qui emerserunt, & ascenderunt humilia videntur; & contemptu digna. Vehementer fallor, si ibi cursum cupiditatum suarum sistent, & adhuc ad altiora evehi non quærant. Cui enim assecuto satis fuit, quod ambienti & optanti nimium videbatur? Quod candidati excelsum putant, gradus est. Eadem me, quæ cæteros honoris cupido, fama atque invidia vexat,

qui

qui ob fidem Catholicam exilio mulctatus viam affecto ad aulam Cæsaream favore Tuo: qui mihi gratiam Tuam ita addicere dignatus es, ut si hîc vel alibi meâ causâ agendum erit quippiam, nihil mihi Tuo studio futurū sit paratius. Amplexus sum utrâque manu, & gratâ mente, quod tam benignè oblulisti. Nunc verò pro re nata Tuo consilio & authoritate fretus, literas dedi supplices ad Celsissimum Principem, Electorem Moguntinum, & per Germaniam Archicancellarium. Facilè Tibi erit me apud ejus Celsitudinem gratiæ tuæ viribus juvare, & in conditionem non aspernandam collocare. Sed habet hoc erecta mea indoles, cum quid sperare cæpit, ut non possit, nisi aut confectâ re, aut prorsus deploratâ spem amittere. Sic sapio, ut alterum alteri misceam: nec spero sine desperatione, nec despero sine spe. Quid fieri possit scio, quid fururum sit ignoro: & cum hac ignorantia finio Tuarum virtutum admirator. Viennæ Austriæ, 6. Cal. Julij, M. DC. XXX.

EPI-

EPISTOLA LXXXIV. *Ratisbonam.*

Reverendiss.^o & Celsiss.^o Principi,
ac Domino, Dñ.

ANSELMO CASIMIRO, *Archiepiscopo & Electori Moguntino.* S.

NOn sum nescius, Princeps Elector, quàm facio audacter, qui prorsus ignorabilis, nec ullâ magnopere dote commendabilis aggrediar importunâ scriptione, & crassâ barbarie in publica Imperij peccare commoda, quibus promovendis omnes Tuæ curæ & cogitationes nunc consecratæ sunt. Sed nusquã meliori damno frons ponitur quàm in Te compellando Principe, Dei gratiâ & Tuâ virtute maximo, cui his literis me insinuo, & de meliori nota (cum coram non possim) humiliter commendo. Qua in re si verecundiæ fines, quos mihi mea præscribit mediocritas, transilio: dabit spero excelsa Tua humanitas veniam, idque ut facere velit, quàm studiosissimè rogo. Glorientur alij de varijs peregrinationum suarum fructibus, jactent se vidisse multorum hominum mores & urbes: ego non alio nomine magis glorior, gratulorque felicitati meę quàm quod Londini in Anglia

glia inter bonos Catholicos, *& occultos veritatis discipulos propter metum Iudaizantium*, agnitis & damnatis Lutheranæ hæresis erroribus, relictoque corvo arcæ desertore, ductu Spiritus Sancti pertractus sim ad *Ecclesiam Catholicam, quæ habet omnes gentes in unitate fidei per diversitatem linguarum cunctarum congregatas*, ex corvicola factus Christicola. Quod beneficium, quàm sit rarum, & quàm paucis contingat, ex pertinacia hæreticorum abundè satis constat. Etenim tam suavis est cerebrosis, & lymphatis mentibus suus morbus, ut non sanari, sed occidi se putent ab illis, qui medicam admovent manum. Argumentorum epithemata, non medicamenta, sed fidiculæ, & tormenta videntur insanientibus hæreticis. Similes mihi videntur Gryllo illi, qui cum Ulysse disputat apud Plutarchum, nec ullis adduci rationibus potest ut è sue rursus in hominem redire velit, quem prius ex homine Circe mutaverat in suem. Patres ac majores suos, quanquã nuperos admodũ & musteos, adeòq; fere patrimos sequendos esse vociferantur, qui tamen non sequuti sunt suos. Impensè laudatur perpetua in patrio ritu permansio: desultoriæ levitatis stigmate inuror ego, quod à Luthericolarum, in qua educa-

tus

tus eram hæresi divortium fecerim. Patria namq; mea, Suecia, tota quanta est, hæretica labe infecta, pravitate Lutheranâ ægra, longâ consuetudine morbum suũ amat,& phræneticum me esse credit, quia eâdem hæresi nõ amplius deliro. Tunc autem consumata est infelicitas, ubi hæreticorum insania non solum delectat,sed etiam placet, & desinit esse remedio locus, ubi impudentissima Lutheri hæresis pro fide habetur Catholica. Hinc ego in Suecia malè audio, tanquã *juratus patriæ hostis, miles fugitivus, transfuga, idololatra, & quid non?* Antiquã divortij formulam inter maritum & uxorem novi, *Res tuas tibi habe, & vale*: illam Suecorum Achilles, GUSTAVUS ADOLPHUS paucis verbis mutatis mihi transmisit: *Religionem Papisticam tibi habe, & vale*. Nec visum, nec auditum me amplius vult, nisi ut verberibus cęsus, quadrupes constringar, & in pistrinum detrudar usq; ad necem, ea lege atq; omine, ut si inde me exemerit, Lutheranus pro Catholico molat, ego ad flagrum depromar, & securi percutiar.

Tantum religio potuit suadere malorum.

Sit ita quidem, quando Suecorum ACHILLI ita placet. Ante biennium ex Gallia in Germaniam veni cum nobiliss: & Ampliss: viro MATTHIA VERTEMANNO, Sac: Cæs: Maj: ad Regem Chri-

Christianissimũ Oratore, meo Patrono. Nunc post duodecim annorũ peregrinatione conabor virtutem meam extra Sueciam explicare, quia in Suecia non licet. Et pro re nata ad aulam Cæsaream aspiro auspicijs Tuæ Celsitudinis, cujus gratiam hîc imploro. Promotores habeo Excellentiss: Dñm. Comitem à Fyrstenberg, Consilij aulici Præsidem, qui meâ operâ usus est biennio perpetuo. Item Illustriss: Dñ. Baronem à Stralendorff, Vice-præsidem, & Romani Imperij Vicecancellarium, qui has meas supplices Tuæ Celsitudini tradet, Habeo insuper nobiliss: Baronem de Questenberg, & cæteros Consiliarios aulicos, meę eruditiõis fautores, quæ nec Tibi displicebit, si semel nota fuerit. Extẽderem in hoc meo ambitu preces, nisi Tua Celsitudô diu rogare nollet, & ego his litteris fecissem. Rogat enim & quidem exactissimè, qui causas rogandi reddit. Addo Decretum GUSTAVI ADOLPHI, Suecorum Lutheranorum Regis, contra Catholicos Suecos Turcarum barbarie crudelius, & ita me Reverendissimæ Tuæ Celsitudini humiliter commendo. Viennæ Aust. 6. Cal. Julij. M.DC.XXX.

GVSTA-

GUSTAVI ADOLPHI

Contra Catholicos Suecos, & Catholicorum fautores

DECRETUM

In Comitijs Orebogiensibus.

Impressum Stocholmiæ, apud Ignatium Meurer, Anno M. DC. XVII.

NOs GVSTAVVS ADOLPHVS, *Dei gratiâ Suecorum, Gothorum & Vandalorum electus Rex, & princeps hæreditarius, magnus princeps Finlandiæ, Dux Estoniæ, & Vesmanniæ, &c. palã facimus, etiãsi in diversis comitijs, & aliàs insuper statutum est, ut nemo fidelis Regni civis, subditus, & incola sub ullo prætextu se reciperet ad Regem Poloniæ, ejus liberos, & clientes; nemo illis se insinuaret, nemo illorum favorem, aut familiaritatem expeteret: licet etiã antehac gravissima supplicia proposita*

sunt

ſunt illis, qui à noſtra Chriſtiana ſcilicet *fide, & pura Evangelij doctrina ad illam papiſticam delirationem deficiunt, exemplo ſæpe ſtatuto in deſertores, & transfugas; quorum plerią multum damni, & periculi Regno noſtro creare, & inferre conſueverunt; nihilominus tamen ejuſmodi Statuta, & Mandata optime cogitata apud multos oblivione ſunt ſepulta, & apud quoſdam contemptui habita. Sed ne quis in hoc periculo quotidie ingraveſcente, ignorantiæ ſuæ velum obducere poſſit, ſub quo latere & excuſare ſe præſumat, conſultum & neceſſarium duximus in his comitijs, cũ Regni Procerum, & omnium Statuum conſenſu decernere, & ſtatuere de omnibus illis qui poſthac ullum commericium cum* SIGISMVNDO *Rege Poloniæ, &*

Aa *ejus*

ejus clientibus vel per literas, vel nuntios, vel alio pacto habuerint : item de his, qui se à nostrâ Christina fide, ad illam Papisticam & idololatricam avertunt, additis pœnis secūdum uniuscujusq; culpam, prout sequitur.

I. *Quicunq; deprehensus, & convictus fuerit visitasse Regem Poloniæ, Principem* ANNAM, *Regis* SIGISMUNDI *filios, illorum Consiliarios & Ministros, qui apud ipsos authoritate valent, & dignitate pollent, officio aliquo eminentes, ut sunt Legati, Commissarij, Agētes, sint Sueci vel externi, sive hoc fiat literis sive nuntijs, sive coram, quacunq; fuerit causa, nemine excepto : ille tenebitur & æstimabitur noster & regni hostis, & punietur tanquam proditor, eversus omnibus bonis immobilibus, & mobilibus.*

II *Qui-*

II. *Quicunq; visitaverit aliquem alium ex transfugis Suecis, ob fugam suspectis, vel alios illorum factioni addictos literis aut nuntijs, & hujus culpæ authoritatibus, & testibus convictus fuerit, capitali supplicio afficietur bonis perditis, quemadmodum de prioribus dictum est, sine ulla gratia. Sed si non potest rationibus probari, illum vel per literas, vel nuntios egisse, quod nobis & regno damnum adferre posset, sed illa tantum tractasse, quæ privatam ejus personam tangunt, perpetuo exilio mulctabitur, nunquam ad nos reversurus, nisi insolitam nostram gratiam consequutus fuerit: bona sua immobilia omnia propinquis & hæredibus suis relinquet, qui de ejusmodi literis & nuntijs nihil sciverũt Verùm si quis in exteras nationes studio*

rum vel peregrinationum gratiâ missus ad Pontificios se conferat, aut in Poloniã abeat, & aliquis amicorum aut cognatorum illius hujus rei nescius annuis literis vel nuntijs eum invisat, illa conditione excusetur & purgetur, ut quàm primùm res divulgata fuerit, illum in partes Polonorum, vel Pontificiorum transiisse, nemo amicorum, aut consanguineorum illius ab illo die, quo innotuit, ullum amplius commercium cum illo habeat, sub pœnâ supra memoratâ.

III. *Si nova alicui vel literæ adferantur à rege Poloniæ, principe* ANNA, *ab aliquo Sueco transfuga, & alijs illarum partium, qui vel regi Poloniæ inserviunt, vel illius & adhærentium cõmoda promovent; & ille è vestigio rẽ nobis aperiat, aut nobis absentibus, nostris*

vi-

vicarijs, & alijs illorum locorum præfectis, & fidelibus viris, ita tempestivè patefaciat, ut capi poßit, qui literas tulit; habeatur quasi innocens. Si verò illi mittantur, aut ita in manus ejus perveniant, ut ipse non poßit scire, quis literas tulerit, aut quomodo ad se delatæ fuerint, defendat se, si exigatur, proprio juramento, quod nec sciat, nec occasionem habuerit expiscandi quis fuerit ille nuntius, ita ut nec capi posset à se, neq; ab alio: & postea sit innocens. Si verò literas abscondat, & hoc deinceps revelatum fuerit, tunc ille literarum & nũtiorum occultator, si modò venerint à Rege Poloniæ, Principe ANNA, *filijs regis, illorũ Consiliarijs & ministris: aut si quid in se continuerint quod ad nos & regnum spectat, capite & bonis mulctabitur.*

Sed si literæ ab alijs de privatis scriptæ fuerint, tunc ille qui hoc reticuit in exilium ibit, & bonorum proscripti immobilium hæreditatem adibunt ejus cognati, & consanguinei.

IV. *Qui sciens ejusmodi epistolas & nuntios tulerit, depræhensus & convictus luet improbus pænas factis suis dignas, sicut jam de literarum proprietate dictum est, nec melior æstimabitur, aut mitius punietur, quam qui illas ablegaverit, aut occultauerit.*

V. *Qui recipit regis Poloniæ literas* patentes, *ut illas inter regni Sueciæ limites subditis nostris distribuat, sive is sit ab ipso rege Poloniæ huc missus, sive literæ illæ* patentes *unæ vel plures alio pacto in manus ejus delatæ, & illas hîc prælegat atque exponat simplici plebi ad*

ad movendam seditionem, aut etiam sciens & volens illas secum huc ferat, vitâ & bonis privabitur, sine omni gratia. Et qui horum conscius rem non patefecerit, eodem loco habebitur, quo caput rei.

VI. *Si quis etiam ex Regis Poloniæ exploratoribus, in finibus regni delitescentibus, vel alibi locorum agentibus detectus, & captus fuerit, punietur sicut proditor patriæ. Et qui talem exploratorem, aut literarum* patentium *latorem nactus fuerit, illumq; nostris præfectis tradiderit, is possidebit & retinebit omnia rei bona mobilia & immobilia: Si autem pauper sit explorator ille proditus & adductus, ejus traditor mercedem pro suo labore à nobis accipiet. Econtra qui ejusmodi speculatorē hospitio exceperit, & consilio, auxilioq; ju-*

verit, par alteri æstimabitur, pari pœnâ cum illo plectendus.

VII. *Qui inventus fuerit vagabundus regnum circumire, mendacia spargens, ex quibus tumultus, discordia & seditio aliqua oriri posset, is secundum genus mendacij, aut damnum subsecutum capite plectetur, aut virgis cæsus in exilium projicietur.*

VIII. *Qui pater, Tutor, vel cognatus filium suum aut consanguineũ in peregrinas oras studiorum causâ amandaverit, ad locum aliquem Regi, & Reipublicæ Polonicæ aliquo modo subjectum, in Polonia, Lithuania, Borussia, Livonia, vel alibi situm: aut ipsi author, suasorq; sit, ut se recipiat in aliquod* Iesuiticum, *vel alia* Papistica Collegia, *is legitimè convictus cedet bonis suis immobilibus*

libus, quorum jus consanguineis suis tradet in exilium abiturus.

IX: *Si quis verò ipse sine parentum suorum, Curatorum, aut cognatorum consilio, & consensu, illis inscijs ad ejusmodi locum prædictum proficiscatur, bene sibi conscij nullam pœnam timeant: sed eâ lege ut interea temporis non juvent illum re pecuniariâ, aut alio viatico. Is verò qui proprio instinctu hoc in se suscepit, nullum amplius jus habeat habitandi in ullo angulo regni Sueciæ, & bonorum ejus hæreditatem adeant propinquiores cognati.*

X. *Si quis etiam hactenus, vel posthac, cujuscunq; sit conditionis se subducat à nostra recta* scilicet *fide, & Evangelica doctrina, quæ nunc per Dei gratiam in nostra charissima Patria lu-*

 cet

cet, ad Papisticam illam doctrinam conversus, nullam unquam vel habitationem, vel mansionem habebit, nec ullâ hæreditate, jure aut justicia inter regni Sueciæ limites potietur: sed in omni hæreditate, & alia justicia non pluris fiet quàm mortuus, sitq; per totam Sueciam reus promulgatus, dignus qui ubiq; capiatur, ubiq; puniendus. Si quis verò in regnum veniat occultè quærens seducere & decipere juventutem falsa, Iesuiticâ & Papisticâ *doctrinâ, is tanquam tumultus author, & seditionis motor debitum supplicium persolvet.*

XI. *Omnibus etiam Papistis, qui vel Sueci nati sunt, vel hîc habitationem, & mansionem elegerunt in agris, vel urbibus, hoc decreto indictum,*

ctum, injunctum, & mandatum esse debet, ut ex regno migrent intra tres menses post decreti promulgationem: si quis veró Suecus hic intra regni limites reperiatur post illud trimestre elapsum, is tanquam nostri mandati contemptor castigabitur, & qui aliquid mali contra præsentem regni Statum molitur, ut proditor.

XII. *Sciendum est, quod hoc nostrum Decretum in omnibus foris & judicijs habiturum sit vim legis, ab omnibus sub pœna constituta servandum, usq; dum illa discordia & inimicitia, quæ est inter nos & Rempublicam Sueciæ ab una parte, & regem SIGISMVNDVM ejusq; asseclas ab altera parte, poßit per clementem Dei providentiam deponi, dimitti, abjici.*

Ulti-

Ultimò. *Ut omnibus inutilibus contentionibus, & perniciosis disputationibus obviam eatur, in his comitijs æquum visum est, & à sua Majestate, regina nostra matre pro Duce* CAROLO PHILIPPO, *& Duce* IOANNE *Vice utriusq; affirmatum & approbatum, ut omnes, qui vel ipsi aliquid contra nos & regnum moliuntur, vel aliorum insidias juvando & tegendo flagitiorum se participes faciunt, ita ut vel literis & nuntijs, vel in propria persona visitent Regem Poloniæ, vel ejus assectatores, sive veniant cum literis & nuntijs, missis, aut propriâ malitiâ huc allatis, peccantes hoc modo contra I. II. III. IV. V. & VI. articulum Decreti: & deprehensi correpti fuerint in Ducatibus, illi æquè cum captis*

in

in jurisdictione regia, nobis in manus tradendi sunt, ut in aula nostra excutiantur, judicentur, & deinde sine ulla contradictione ad supplicia illis debita rapiantur. Sed si quis insidiatus fuerit alicui ex principibus hæreditarijs, illorum uxoribus, liberis, consiliarijs & Ministris, aut Privato illorum statui, & in Ducatibus comprehensus fuerit, de illius facto potestatem habebunt principes hæreditarij inquirendi & judicandi quousq; lex, Donationes & Privilegia *ab illis accepta permittunt, servato nobis jure regio, & relicto reis* Appellationis beneficio. *Si quis etiam ex illorum Ministris, & juratis subditis in Iurisdictione regia captus fuerit, illum & nos ad illorum Principum petitionem pro iniquisitione facienda*

facienda tradere volumus: ſed ita ut reo poteſtas ad nos appellandi *reſeruetur. Pari quoq́ modo in Ducatibus inquiri debet de illis tranſgreſſoribus, qui notantur in VII. VIII. IX. X & XI. articulo Decreti. Principibus item hæreditarijs ſua juriſdictio Eccleſiaſtica & Politica ſemper in omnibus ſarta tecta ſeruabitur: excepto ſolummodò proditionis crimine, quod nobis & Reipub. potiſsimum exitium parat, cujus inquiſitio, excuſsio, & condemnatio ſecundum leges Regni Sueciæ,* Teſtamentorum & Donationum *legitimum ſenſum, verum intellectum, & receptam conſuetudinem; ad nos ſolos pertinet. Mandamus ergo hîc omnibus, & ſingulis Regni Sueciæ incolis, majoribus & minoribus, item omnibus viatoribus*

toribus & negotiatoribus intrà limites Sueciæ, ut voluntatem nostram in publicis comitijs confirmatam obseruent, & secundum hoc nostrum decretum actiones suas dirigant. Pari modo imperamus omnibus prouinciarum præfectis, ut in omnibus foris judiciarijs; item consulibus & senatoribus, ut in concilijs ciuium ter in anno publicè recitari curent hoc nostrum decretum. Præterea volumus, & seuerè præcipimus omnibus Præpositis, superioribus & inferioribus, præsertim Vicarijs nostris in arcibus, Prætoribus, consulibus & Senatoribus; Publicanis, Tribunis, Scribis, & singulis Magistratum gerentibus, ut diligenter inquirant in transgressores hujus Decreti: & si quem invenerint reum, ut cum

illo jure hîc dicto agant, nemini permittentes impunè peccare, nisi velint ipsi culpam in se transferre.

Dictum putent omnes: nempe ut curetur rectè hoc. Cui authoritatis pondus addidimus manu regiâ, & sigillo. Actum *Örebogiæ 27. Februarij Anno 1617.*

Gustavus Adolphus

EPISTOLA LXXXV.

MATTHIÆ VERTEMANNO,
Cæs: Majest: Consiliario aulico. S.

Durior est conditio spectatæ virtutis tuæ, quàm alterius mihi ignotæ. Sic enim se res habet, & ita naturâ comparatum est, ut priora tua in me benefacta evertas, nisi illa posterioribus cumules. Quamvis enim multis nominibus tibi sim devinctus, toties obligatus, tamen si semel favorem subtrahas, & operam tuam deneges, id tantum in memoria habebo, quod semel repulsam passus sum. Conservandum ergo veteris beneficij meritũ novo videtur: nam initium novi, consummatio est prioris. Sententias loquor, quibus permotum volo cursum tuæ erga me benignitatis, cujus pulchritudinem usus ipse commendabit. Quid tu, inquies, cum tuis sententijs poscis? Ego me Phidiam esse mallem, quàm vel optimum fabrum tignarium. Non ex auro tantum Phidias sciebat facere simulachra: faciebat ex argento, ex ebore, ex cupro. Si adhuc viliorem illi materiam obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum posset. Sic ego virtutem, quia in Suecia non licet, extra Sueciam

demonſtrabo : eamq; ſi licebit, in divitijs explicabo, ſi minus, in honeſta, læta, & religioſa paupertate. Quamcunq; fortunam nactus fuero, aliquid ex illa memorabile efficere conabor, DEO favente. Tu pro ſolito tuo erga me favore, non gravaberis de meliori nota commendare principibus viris hominem Suecum ad omnem fortunam paratum. Facilè contemno omnia, qui ad contemptum mei ipſius perveni. Sed quemadmodum turpe eſt beatam vitam in auro & argento collocare, ita etiam indecorum arbitror homini civili, ſi illam in aqua & polenta, ac ſordibus paupertatis reponat.

Quis dives? Sapiens. quis pauper? ſtultus, inersq́ꝫ.
Si ſapio ergo, brevi tempore dives ero.

Qui poteſt ſapere, ſapiat. Vale. Viennæ. 3. Non. Julij. M.DC. XXX.

EPISTOLA LXXXVI. Ratisbonam.

JOANNI HARTWICH *à Noſtitz. S.*

CONverſatio cum amicis præſentibus delicata res eſt, ſæpe offendit, & cenſuram incurrit : abſentium familiaritas plus delectat. Ego quoties voluptatem capto ex literarum alloquio, toties mihi officium ſcri-

bendi

bendi usurpo. Scribo sæpe nullâ sponsione factâ, quanto magis favore tuo, & promisso meo obligatus? ne tu putes me promissi mei immemorem. Arrige ergo aures Pamphile: quippe volo te lubentiorem facere, quàm ipsa Iubentia est. Nuper mulier quædam Viennensis, urbana, lepida, festiva, maritum suum in carcerem compegit, ac horrendi carminis reum dixit. Deinde convocatis amicis quæstionem proposuit, quid sentirent de suo marito, qui & sui matrimonij, & alterius fœdus fœdarat? Illi enorme crimen adulterium pronunciabant, multorum Philosophorum opinione, perjurio gravius existimatum. Quasi levior foret violatio Numinis, quàm thori. Itaq; alij ultore ferro, illud facinus vindicandum esse judicabant: alij rigidâ Saxorum tempestate, mæchum opprimendum: alij naso truncandum: alij è testibus suspendendũ: alij oculis vindice cuspide effossis occæcandũ ajebant: imò alijs aliud videbatur. Hîc mulier collectis amicorum sententijs: Rogabam, inquit, quid sentiretis de meo marito, qui nuper deprehensus fuit in adulterio? Quot amici estis, tot censores: quot judices, tot judicia. Ego nihil aliud sentio, quàm fuisse nimis tardum, quia deprehensus fuit. *Ita vita est*

hominum, quasi cum ludas tesseris: Si illud, quod maximè opus jactu, non cadit, illud quod cecidit fortè, id arte, ut corrigas. Nunc post reconciliationem, unus lectus utrumq; recipit, maritum discipulum, & uxorem magistram.

Quæ modo pugnarunt, jungunt sua rostra columbæ,
Quarum blanditias, verbaq; murmur habet.

Res admiratione digna, tantum odium & animorum divortium, tam citò extingui potuisse. Inter Italos aut Hispanos, si hoc usu venisset, nec uxor virum recepisset, nec vir uxori reconciliatæ fidem habuisset, injuriarum ultionem meritus. Ita habes hujus fabulæ lætam catastrophen, quæ si tuum plausum meruerit, grande erit meæ scriptionis pretium. Vale. Viennæ Austriæ, 6. Id. Julij, M.DC.XXX.

EPISTOLA LXXXVII. *Ratisbonam.*

JOANNI KIELMANNO. S.

NEmo silens placuit, multi brevitate loquendi. A tua manu cum ultimo tabellario nihil habeo præter superscriptioné alterius ad me Epistolæ. Eremita aut Carthusianus aliquis mihi videris: breviloquium usurpas, quia silentio est finitimum. Sententiæ tuæ breves sunt, imò & syllabæ, ut te probes,

bes, nescio quem Philosophum. Sed vide, ne compendiosa tibi insit pigritia. Omnis amor officiosus est, & proprium est libenter scribentis, sæpe & multum scribere. Noster inanilogista, liberalissimus ille sui vini promus condus, cujus aures in linguam defluxêre, à Patre, nî fallor, ebrio proseminatus & perdolatus, Viennâ discessit, sed quando, & quò, nescio. Ante mensem hìc Viennæ in suo hospitio declamavit multa millia passuum, qui nisi linguâ in mentem intinctâ in posterum differuerit, adhuc multò ampliùs dicendo delinquet.

Tu quamcunq; Deus tibi fortunaverit horam,
Gratâ sume manu: nec dulcia differ in annum:
Vt quocunq; loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Vale. Viennæ Austriæ, 6. Id. Julij. M.DC.XXX.

EPISTOLA LXXXVIII. Ratisbonam

BALTHASARO JOACHIMO *de Terenbach. S.*

QUo uno modo possum me tibi ostendo, & brevi scriptione te veneror: quippe prolixè philosophatus sum cum Dño.

Noſtizio & alijs: meas ad illum ſi legeris, excuſabunt harum brevitatem, nec te ſine riſu dimittent. Sed ſeriò te rogo, ut mei ſis memor apud magnos patronos, ſine quibus emergere haud facilè eſt. Faxo intelligas, te non promoviſſe degenerem mundi incolam, fruges conſumere natum. In peregrinatione mea ſcripſi literas Miſcellaneas, varietate ſuâ jucundas, quæ in mediocrem voluminis magnitudinem excreſcent, & hîc Viennæ in lucem prodibunt, inter quas & tuum nomen videbis, & tuas virtutes recenſeri, ex quibus te ornabo. Si decora ſunt quæ ſcribo, omnes ſciant: Si indecora, quid refert neminem ſcire, cum ego ſciam. ô me miſerum, ſi contempſero hunc teſtem! Vale. Viennæ 6. Id. Julij. M.DC.XXX.

EPI-

EPISTOLA LXXXIX. *Ratisbonam.*

Reverendiss.o & Celsiss.o Principi, ac Domino, Dn.

ANSELMO CASIMIRO, *Archiepiscopo & Electori Moguntino.* S.

ETiamsi nihil ad augendum tuum fastigiũ superesse videatur, Princeps Elector, tamen uno adhuc modo crescere potest Tua Celsitudo, si se ipsa submittat, secuta magnitudinis suæ: in qua sic est humilitas gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa superbia. Traducant meam scribendi audaciam, eamq; suspenso naso irrideant, immò incivilitatem vocent, & barbariem interpretentur illi, qui Principis Majestatem ubiq; servandum esse putant: ego illos maximè detestor, & pro barbaris, valde inciviliter doctis habeo, qui Tibi hanc humanitatis laudem invident, quò minus humillimorum etiam supplicationes audias, à cujus vultu & colloquio non licet quenquam tristem discedere. Scripsi antehac semel, fusè & copiosè, de mea in Suecia conditione, Tibiq; eâ, quâ par est observantia supplicavi, nec magnitudinem Tuã, nec humanitatem ignorans. Nunc pro re nã-

ta ſcribendi audaciam majori cum animo reſumo, & preces precibus addo. Legi enim nuper ſuæ EX.ª ILL.mi Præſidis, Patroni mei de me teſtimonium, & monumentum ſui erga me favoris, quo me Tuæ Celſitudini de meliori nota ſatis ſuperq́; commendat. Ego pro mea ſimplicitate, neq́; Tibi Archicancellario, & Principi Electori Eminentiſſimo, neq́; Patrono meo EX.mo aulici Conſilij Præſidi, humanitatis laudem invideo: neq́; mihi ex ſumma utriuſq́; benignitate fructum. Opto ut in eo ſtatu, quàm diutiſſimè perſiſtas, Princeps, quo ſemper beneficia diſtribuas, nunquam deſideres. Sequatur Te materia, quâ tam benignè utaris largiendo, juvandoq́;, ut ſemper Tibi adſit & dandorum beneficiorum copia, & datorum lætitia. Viennæ Auſtriæ, 16. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPISTOLA XL. Ratisbonam.

JOANNI KIELMANNO, *Secretario, Fyrſtenbergico. S.*

VIdi nuper, & ſemel atq́; iterum legi libellos meo nomine ſupplices, in utraq́; lingua, latina & germanica, eleganter & prudenter à te compoſitos: quos juſſu Suæ Ex-

Excellentiæ nostri Patroni obtulisti Serenissimo Principi, Electori Moguntino, pro impetrando mihi officio Secretarij, quod nunc vacat morte Zwethenij. Ego totum negotium committo providentiæ divinæ, & Procerum favori, sine quibus ad ejusmodi Provinciam administrandam non aspiro. Quod si pisces ex animi tui sententia nactus fuero, non pœnitebit te rete in mare conjecisse, aut jactum piscatorum pro me emisse. Difficilis est hæc piscatio, sed difficilia, quæ pulchra. Non agis, sed satagis: modò curris, modò volas. Equidem non invideo tibi bonam mentem, elegantem manum, & agiles pedes: neq; mihi ex illis victoriam, ante quam non cano triumphum. Curre curre, quò tua te virtus vocat, & curre strenuè, fortiter, feliciter. Omnes student suis commodis, & raræ est virtutis, alterius promovere virtutem. Ego majus esse puto eruditionem in alijs fovere, quàm in se habere, alterius virtutem patefacere, & notam voce & manu juvare, quàm suam admirari. Vale, & bene agendo lætare. Viennæ Austriæ 16. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPISTOLA CI. *Ratisbonam.*

Illust.mo & Excelentiss.mo Dn. Dn.

VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

NEmo est tam plenæ & perfectæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum fortunæ suæ conditione litiget. Nemo cum status sui qualitate facilè concordat. Nemo non quotidie & consilium mutat, & votum. *Inest enim singulis humanorum bonorum conditionibus, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat.* Hinc jactamur & natamus semper inter cupidinum novos fluctus, non aliter quàm reculę, quæ fluminibns innatant, & temerè impinguntur in hanc illamve partem. Hinc mutamus sæpe personam, & contrariam ei sumimus, quam exuimus, quò minus Tua EX.a miretur me novam nunc quærere conditionem. Sed ex literis tum Amplissimi Vertemanni, tum nostri Kielmanni video meum ambitum Tibi non displicere, quem tantopere & voce, & scripto promoves, gratiâ & authoritate Tuâ commendas. Ego ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequor, fortunam mihi

non

non spondeo, cujus utramq; partem cogito. Voluntatem Tuam perfectam promovendi me, pro opere reputabo facti, & voluisse seriò juvare, meritum vocabo; nec minus debebo Tibi repulsam passus, quàm hujus voti compos factus, qui omnem meam fortunam Deo commendo, à quo totus dependeo. Unum est necessarium, quod speramus omnes post hanc mortalem vitam: fortunæ bona, honores, dignitates, divitiæ volitant sicut umbræ, nec multum appetenda, nec multum aspernanda.

Nec paupertatem, nec opes desidero magnas;
Nolo Parum: Nimium non volo; sat mihi sat.

In quo voto finio, & Tuam EX.m veneror. Viennæ Austriæ, 16. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPISTOLA CII.

JOANNES EBERHARDUS MEZLER, JACOBO HUNTERO S.

POstquam hîc certis, ut credam, sum persuasionibus inductus, Dominat: Vestram divino ita ordinante numine ad Imperialem Latinæ Expeditionis Secretariatum, & sic in Domini mei mortui piæ memo-

memoriæ locum esse admissum, intermittere uon debui, quin Dom: Vestræ ex animo gratularer, meaq́, si quid ijs possem, officia offerrem. Est autem, qui mihi stimulos addat continuus serviendi feruor, quo diu noctuq́ (quod sine laudatione profero) memorato Domino meo Gerhardo à ZWethen, quem Deus benignis misericordiæ oculis aspicere dignetur, ad duos fermè annos præsto fui, his ut literis Dominat: Vest: molestem, quæ si hoc munus aggredietur, me, qui modum & consuetudinem interea temporis satis notavi, in famulum recipere non dedignetur. Promitto insuper me vel in minimis non defuturum, atq́ in omnibus servitijs promptum paratumq́ exhibiturum, resolutionem desuper rogatam humiliter expectans. Ratisbonæ 13. Iulij, 1630.

EPI-

EPISTOLA XLIII. *Ratisbonam.*

IOANNI EBERHARDO METZLER S.

Quis tibi Apollo cecinit, me esse Solem, orientem, quem plures adorant, quàm occidentem? Davus sum, non Oedipus: & si Sphingem habeo domi, tamen non audio eam adhuc ejusmodi secretorum nunciam, qualia tu nobis decantas, & in sinum meum, sed non rimarum plenum, effundis. Voluisti fortassis ejusmodi nuntio meas aures titillare, ut ad triduum saltem tuâ operâ lætus & hilaris essem. Sit ita, quando tibi ita placuit; non pœnitebit debere tali nuntio, novæ gratulationis mutuum. Verum quidem est Nobilissimum Gerardum à Zwethen personam suam cum laude, & famâ in posteros sustinuisse, suamq; fabulam peregisse; & quia heri mortuus fuit, hodie & cras & perendiè sic futurum: Sed inde non infero, quia nuper tuâ credulitate Secretarius eram, me sic futurum. Qui facilè credit, facilè decipitur. Palma quidem in medio posita est: Sed corona non datur, nisi bene meritis, aut benè merituris, in gratiam fautorum benè meritorum, sine quibus ne magna quidem, & clara ingenia emer-

emergere possunt. Mare quidem commune est, sed pisces in eo nati, eorum sunt, qui illos emerunt. Ego fortè dignus eram, qui officium Secretarij peterem: alius, ut acciperet. Si tamen hoc officium in me collatum est, gratiâ & favore Suæ Excellentiæ, Patroni mei, gratè beneficium accipiam, & primam ejus pensionem grato animo persolvam: qui non solùm gratus esse debeo, si illud accepi, verùm etiam si mihi potestas accipiendi fuit. Quod si fortè hactenus non plus olei, quàm vini consumpsi, nihilominus tamen amabo officium, quod me vigilare faciet. Quicquid sit, exspectabo nuntium claudum, à quo fiam de re tota certior. Sat citò, si sat benè. Vale, & me tuæ addictum humanitati esse puta, sive Secretarius sum, sive non sum. Vale. Viennæ Austriæ, 8. Cal. Aug. M. DC. XXX.

EPISTOLA CIV. Viennam.

JOANNES KIELMANNUS JACOBO HUNTERO S.

INvehis in brevitatem meartum, ex calore non Solis, sed amoris. Scintillas enim amor habet, & vel absentes urit. Sic

Sic tuas interpretor. Miror certè, non moror. Ita enim contra reprehensiones obarmatus mihi est animus, ut & concoquere eas poßim, si merear: & judicare an merear. Longè quidem à spe gloriæ remotus est, qui reprehendi non consuevit: longius, qui contemnit reprehendi. Ille namq́; qui non consuevit, simplicitatis vitio errare in minimis se putabit, si modò reprehendatur: qui contemnit, arrogantiæ impostura, ne in maximis quidem posse, cùm tamen maximè poßit. Tam in scintilla (nosti) quàm in incendio ignis est, & non multum, qui amat loquitur, sed factis ostendit, non verbis ostentat affectum. Sic ego peperci calamo, animum impendi. Quid hoc sibi velit ex hoc unico, mi Huntere, concludes, quod te Secretarium salutem, & ego Secretarius, quam-

quamvis tu Solis, ego lunæ: Tu Imp: Majest: ego Excellent: à Fyrstenberg: Tu Latinus, ego Germanus. Hoc saltem pro nunc te scire volebam, me libellum supplicem unà cum recommendatione nostri Patroni de manu in manus Celsissimi Electoris Moguntini exhibuisse, & honestum tui præconem fuisse, qui econtrà omnia pollicebatur, & quæ pollicitus effecisse modò, à viris non contemnendis intelligo. Amplior sequetur gratulatio, quando certitudo rei ad me pertinget. Interim hac indubiâ te spe lactare volui. O quanta merces mea! si amicum ad tam amplum munus eveham: imò ipsum quod ago mihi mercedis loco. Vt enim, qui currum regit, & habenas moderatur, dum vectores suos transfert, ipse etiam transfertur: Sic qui amicum juvat

vat

vat, ſeipſum non negligit. De publicis nil addo: ea enim non aliter nos tangunt quàm in quantum ad res privatas pertinent. Quin vim infero negotijs meis, & non ſcribo hæc, ſed fundo; conor ingenio, quod fruſtrà á tempore exigo. Vale, & amicum me cenſe æterno boni affectus nodo. Ratisb. 13. Iul. 1630.

EPISTOLA XCV. Ratisbonam.

JOANNI KIELMANNO, *Secretario Fyrſtenbergico. S.*

VIdeo te adhuc ægrum eſſe, quia ægrè fers tuam à me caſtigari in ſcribendo brevitatem, ſilentio finitimam. Miraris, non moraris? Mirari deſine: quia nemo flagrantius amicitiam colit, quàm qui iraſcitur amicis abſentibus pauciloquis, & parcè ſcribentibus. Odi ego pigritiam delicatorum, & curioſitatem otioſorum, qui prolixas literas ſcribere nolunt; legere volunt. Illos amo, qui melleam orationem non ſummo digito ſtillant, ſed plenâ & liberali manu in oculos

amicorum effundunt. Sed tu non amas pupillam corrumpere, neque moraris querulas amicorum tuorum voces: immò moraberis, quamdiu *animula, vagula, blandula* hospes comesque fuerit tui corporis: ubi illa migrauerit *pallidula, rigida, nudula*, non amplius dabis jocos, & morari desines. Excusas deindè verborum tuorum parsimoniam exemplo amantium, qui verbis parcè philosophantur, reipsâ fusè, diurnâ liberalitate, & nocturnâ operâ officiosi. Papæ, Tun' in ludo amatorum veteranus miles ignoras, quàm garrula res sit amor? Tun' elegans formarum spectator veneris discipulus es semidoctus? Tun' qui in ludo amatorio amori operam dedisti tam diu, nescis mulieres esse viris molliores, & masculis loquaciores? Si quid mihi est apud te fidei, hanc fidem mihi habeas velim, non credere me fictæ tuæ simpliciati, neque calamo secus philosophanti, quàm ori amatorio, quod intueri amat, & ocellos tuos suauiari Regina Venus. Ah, regem te esse oportuit, & reginam illam ducere, qui non ignoras fæmellas esse loquaciores quàm masculos, quia plus amant quàm illi. Aut dic mihi amator pauciloque, ubi videris mulierem amantem mutam? Certè Plautinæ & Palatinæ largiloq; sunt,

ſunt, præſertim ſaburratæ. Neque ego ſum neſcius quàm multi ſis joci; qui jocari non deſines jocantis naturæ ſoboles, quàmdiu animum in amore occupatum habueris. Amor garrulus te fecit garrulum, pater diſertus diſertum filium.

Noſtra damus, quum verba damus: nam fallere noſtrum eſt:
Et quum verba damus, nil niſi noſtra damus.

Sed ut amotis dicamus ſeria nugis: bene ſi mihi feciſti, ne pigeat feciſſe: quippè liberale eſt officium, ſerere beneficium, vt metere poſſis fructum. Nec putes me eſſe ex eorum mortalium numero, qui dum ſibi impetrant quod volunt, aureos pollicentur montes: Sed id, ubi jam penes ſe habent, verba dant pro farinis. Ego tum memor ero, quando quod volam habebo: quamvis non ignorem nihil charius eſſe beneficio diu petito, accepto nihil vilius. Quid vis amplius? producis me in ſcenam Secretarius verus, Secretarium perſonatum: Germanus Latinum: Tu tuis virtutibus ornatus, ego, alienis plumis veſtitus, mouebo ijs ſpoliatus, velut cornicula Æſopica, riſum. Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Vale. Viennæ Auſt. 6. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPISTOLA XCVI. Ratisbonam

Illust.mo & Excellentiss.mo Dn. Dn.

VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss.* S.

EX literis Geneross: Comitis Alberti suâ manu scriptis facilè animadvertis HEROS, illum benè valere; qui nihil magis in votis habet, quàm ad nuptias Regias vocari. Tua Ex.a mores sui filij nouerit, non oderit.

Exultat leuitate puer, grauitate senectus:
Inter utrumq; manens stat juuenile decus.

Incipit nunc ambulare bipes, qui poplite nõdum firmo, paulatimque tremens hactenus incessit quadrupes & tripes, scipionibus nunc duobus, nunc uno tantum sustentatus. Claudicatio indies magis magisque remittit; & spero tandem auxilio divino prorsus cessaturam. Lutherani in Suecia suo Regi succensent, quod pisces apponat in convivio; ac non potius Catholicorum capita; si possint jure belli haberi. Mihi sunt infensissimi, quod semel scripserim Suecos vendidisse *vinum generosissimum*, primæq; suavitatis, id est, *fidem Catholicam*:

cam: & nunc non bibere, nisi *vappam*, id est, *hæresin*. Sed non possum simul esse amicus fidei Catholicæ, & hæreticorum adulator. Fruamur hæreticis iratis, si placatis uti non licet. Pater meus in bona sua senectute me objurgat his verbis: *Ego te non Papistis adversus Patriam, sed patriæ adversus Papistas genui.* Si Papista sum, ibo in exilium; si non, redibo in complexum Lutheranorum. Sed nec ego hæresin, & opera illorum ferre, nec illi meam fidem Catholicam pati possunt. Et quia mihi dant optionem eligendi unum è duobus malis, malo ego in Austria solæcismos committere in linguâ Germanicâ, quàm in Suecia capite plecti, ubi mihi potus sanguine venalis est. Verùm enimverò multi deplorant meam sortem, quod non in patria, sed peregrè moriturus sum. Sed bono animo sint: extra patriam mortuus non abjiciar insepultus. Videant Sueci, ne dum hæresin suam pertinaciter custodiunt, cœlestem patriam amittant. GUSTAVUS ADOLPHUS Sueciam hæreticam accepit, & hæreticam fortassis relinquet; quamvis possit Catholicam relinquere, & dicere: *Sueciam stramineam, stercoream & excrementitiam accepi: sed auream, gemmeam & Catholicam relinquo.* Damnet illum DEUS voti mei, qui potest ex la-

 pidibus

pidibus facere filios Abrahæ: & erit arbor bona ferens bonos fructus, qui nunc est miles gloriosus in malitia, ut qui gloriatur, glorietur in Domino, cujus divinæ protectioni totam familiam Fyrstenbergicam supplex committo. Viennæ, 8. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPSTOLA XCVII. Viennam

MATTHIAS VERTEMANNUS. JACOBO HUNTERO S.

VT ad quævis mihi graciose, & amanter rescripta per binas tuas literas, in præsens respondere valeam, tempus non habeo: tamen ne desim officio tam jucundo mihimet ipsi, tamq; tibi optato, non possum non brevißimo licet stilo, sed gaudio & congratulatione quam maximâ certiorem te facere, quod in ambitu illo tuo ad officiũ defuncti Domini ZWethenij, non obstante quâvis oppositione maleuolorum Ecc.mi Domini præsidis nostri, tanta cum laude, tamq; honorifice à Reve-

*Reverendiſs. & Sereniſs. Principe Ele-
ctore Moguntino Sac. Caeſ. Majeſt. com-
mendatus fueris, ut ante triduum, ex-
cluſis alijs candidatis, nominatus ad il-
lud, promotusq́ ſis: habeo enim in hoc quod
mihimet ipſi congratuler quàm plurimũ,
& Eccellentiæ ſuæ plus fateor me debere
propter hanc tuam exaltationem, quàm
ſi nouo aliquo & ingenti beneficio ſuo me
ipſum aſtrinxiſſet. Habes & tu certe, mi
Huntere, quo conſoleris quàm maxi-
me: conditionem enim iſtam non in-
feriorem, imò potiorem eſſe arbitror meâ
& omnium Conſiliariorum Aulicorum,
ſaltem quoad amplitudinem ſtipendij, il-
liusq́ certam ſolutionem, & quoad alia
emolumenta ejuſdem attinet. Ad Illu-
ſtriſſ: Dominum Comitem Albertum ſcri-
pturus ſum proximè: diffuſius enim ſigna*

lætitiæ meæ dare cupio, quâ me recuperatâ sua salute affectum sentio, cui me interim quàm maximè commendes rogo. Vale. Ratisbonæ, 24. Julij, 1630.

EPISTOLA XCVIII. *Viennam.*

JOANNES KIELMANNUS, JACOBO HUNTERO S.

A Tuo Kielmanno, ejusq; occupato calamo hoc habe: Secretarius es Latinus. Vis ultra? Confirmatus, & breui diploma habebis quo avocaberis Ratisbonam. Congratulor tibi non verbis speciosis ad hoc ostẽtationis causâ requisitis, quæ nec tu desideras, & ego abominor: sed sine strepitu, animitus, cordicitus. Et eò magis, quod tanquam amicus, qualem non me ostento, sed ostendo, manum admoui. De bene peractis apud bonos pœnitere non datur; quin apud bonos om-

nia

nia bona. Et ut oculus non ſatiatur viſu, nec auris auditu; Sic amicitiæ fames eſt, ſemperq; innatum habet deſiderium juvandi amicum. Amicum juvans ſeipſum juvat, non ſecus ac auriga alios vehens ſeipſũ promovet. Bonus theſaurus eſt repoſita apud amicos gratia, quod vetus eſt, cui inſiſto. Vt enim in itinere ſemitas tritas; ita in humana ſocietate doctrinas uſu confirmatas ſequi debemus. Claudo literas non amorem & affectum, ex quo omnia fauſta precor meo è multis unico latinæ linguæ Secretario Huntero. Ratisbonæ 24. Iulij 1630.

EPISTOLA XCIX. *Viennam.*

MATTHIAS VERTEMANNVS,
JACOBO HUNTERO S.

C*Vm die Mercurij 24. huius abundè tibi mihiq; congratulatus ſim de adepto tam honorifico officio Domini Swethe*

nÿ

nij nostri defuncti, hoc tantum admonendum habeo, Excellentiam suam me heri dubitantem audiuisse, te forsitan accepto tam læto nuncio, derelicto Domino Comite Alberto, & inspectione quam habes rei familiaris ibidem, iter tuum huc arrepturum, quod quia sine magna offensione Eccellentiæ suæ fieri non posset, præcauere hisce meis literis intermittere non volui, licet certò sciã te nisi præuiâ & impetratâ venia illius cuius ope & fauore totum hoc bonũ consecutus es, nihil unquam simile cogitaturum. Erimus fortasse omnes breui iterum Viennæ: Nuptiæ enim Regis vix iam sunt sperandæ in hoc loco, cum Regina Neapolim versus à decima octaua huius nauigare inceperit. Non habes interim quod timeas absentiam tuam hic tibi vel minimũ præjudi-

iudicium inferre posse; protectionē enim Patroni non minus tutam in hoc habes, quàm efficacem illius fauorem ad tuam promotionem habuisti. Cæterum Dominus Kilman casu alicuius rixæ habitæ cum præfecto Stabuli, petit dimitti à sua Excellentia, & obtinebit. Præceptor ad hæreditaria bona suæ Eccellentiæ ante triduum missus, ibidem præfecturam exerciturus est. Illustrißimo Domino Comiti Alberto salutem & profundam meo nomine reuerentiam. Tu vt bene valeas meq; amare non desines opto. Iterum Vale. Ratisbonæ 27. Iulij 1630.

EPISTOLA C *Ratisbonam*

Illust.^mo^ & Excelentiss.^mo^ Dn. Dn.
VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Presidi Imperialis aulici consilij dignißimo, Patrono meo amplisß. S*

QUantâ apud Cæsarem authoritate valeas, HEROS, quantâ insuper gratiâ apud

apud Reverendiſſ: & Sereniſſ: Principem Electorem Moguntinum polleas; ego vel ex nupera mea promotione facilè intelligo, Tuo beneficio ad honorem Secretariatus Cæſarei evectus, quem timidè petij, tanquam Cæſaris candidatus. Cæteri quod pollicentur, tardè præſtant, & inani verborum ambage ſuos clientes paſcunt; Tua EX.a citò præſtitit, quod mihi nunquam promiſit. Vnde quantum benevolentiſſimo Tuo erga me affectui debeam, & quantum debiturus ſum dum vivam, malo ex magnitudine Tuorum erga me meritorum intelligas, quàm ex verborum meorum circuitione. Neſcio ſanè Catholicos ne Suecos, ob fidem Orthodoxam exules, an me ipſum majori gratitudine Tibi devincire voluiſti, novo hoc favore. Triumphabunt illi, ubi audiverint me in aula Cæſareâ inveniſſe talem, & tantum Patronum, ejuſque gratiâ ejuſmodi dignitatis locum, qui pluribus candidatis arriſit. Gratum me eſſe dicã? Sum animo, verbis ægrè poſſum, minus factis. Committo has partes ſupremo Numini, & illud ſupplex veneror, ut pro me ſolvat. Publico ſcripto (ſi vita comes fuerit) GUSTAVI ADOLPHI ſævitiam, & crudelitatem caſtigabo, qui me ob ſolam fidei Catholicæ profeſſio-

nem

nem patriâ exuit, & adhuc in invidiam vocat: quod candido sudario frontem tergam, & in Illustriss: Familia vestra Fyrstenbergica panem candidum, beneq; pistum edam. Tuæ verò Excellentiæ munificentiam mundo ita notam faciam; ut ejus benignitatis intuitu, alij Sueci non vereantur repudiatâ hæresi Lutheranâ meum exemplum imitari, & repertis Catholicæ fidei frugibus, hæreticorum glandes aspernari.

Semper inoblitâ repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet esse tuum.

Viennæ, prid. Cal. Aug. M. DC.XXX.

EPISTOLA CI. *Ratisbonam.*

MATTHIÆ VERTEMANNO.

Senatori Cæsareo aulico. S.

Quamvis non sim ex eo ligno; unde exsculpi potest Socrates aliquis, aut Cato, in quo tanta vis animi ingenijque fuit, ut ubicunq; terrarum victurus esset, fortunam sibi ipsi facturus videretur: authoritate tamen Ex.^mi^ nostri patroni, & virtute tuâ, ut video, Secretarius sum Cæsareus. Sit ita, quidem, quando Deo ita placuit: nunquàm certè pænitebit tuæ humanitati in Gallia innotuisse, tuâque in familia diu vixisse, quia te non pænitet sumptuum, quibus me

ex

ex Gallia in Germaniam vexisti. Quod si suâ Ex.a tam amplum & nobile officium procurare mihi potuit absenti, & immerito; quid alijs non faciet præsentibus & benemeritis? obstupescent credo Adolphiani, & Lutherani in Suecia, qui me Antichristi cultorem, & pistrino dignum vociferantur, ad ejusmodi rumorem, & pauci ex illis credent me fauore magnorum virorum ejusmodi locum in aula Cæsarea invenisse. *Manus illorum oculatæ sunt, credunt quod vident.* Nonnulli fortassis exemplum meum imitabuntur, & euolabunt, fortunam suam hîc, vel alibi tentaturi. Quid quisq; possit, non nisi tentando didicit. Equidem cum omnibus virtutibus me ornatum & perpolitum esse summo studio desiderem, tum nihil est, quod magis in votis habeam, quàm me & gratum esse & videri, qui non modò beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione, me patior alligari. Damnet me DEUS hujus voti, non vivam, neq; moriar ingratus, meritam tibi gratiam memori mente persoluturus. Vale Vir Amplissime, & salve ab Illustrissimo Comite Alberto, qui tuâ salute salvere mavult, quàm in uxoris suæ, febris hecticæ complexu diutiùs cubare. Viennæ, prid. Cal. Aug. M.DC.XXX.

EPI-

EPISTOLA C.II Ratisbonam.
JOANNI KIELMANNO,
Secretario Fyrstenbergico. S.

QUanquam negotium tibi nuper fuit in poculis, ubi flos veteris vini naribus objectus, gutturi tuo dabat gaudium: tamen inter jocum, ludum, risum, voluptatem, venustatem & hilaritatem, non ita occupatus fuisti, quin etiam mihi operam dares bonam, probam sobriam. *Vetus verbum hoc quidem est: communia esse amicorum inter se omnia:* & tibi non sufficit, amicitiæ dextram scribendo mihi sæpius porrigere, & brachium ad commendationem audacter, nisi etiam tuorum Ratisbonæ commorantium beneuolentiam mihi concilies. Ita nihil homini amico est opportuno amicius. Politissimum Bucherum, rerum bellicarum, & arcanorum martialium Secretarium, ejusque virtutem & probitatem graphicè mihi depingis: quem ego absens veneror, & coram tecum exosculabor, ubi occasio ad eam rem fuerit. Scio illum virtutibus abundare, qui alienas sic amat, & mearum umbram tuo penicillo descriptam. Patiatur quoque se â nobis amari, in quo ille amor nostro amore dignus domicilium elegit. Noua quæ scriberes nostri

ſti quidem, ſed arcana imperij divulgare religio tibi fuit. Non omittam hanc tuam laudem apud quos oportet deprædicare, poſſe te multorum arcanorum conſcium in publicis comitijs ſilentio illa tegere. Difficilimum eſt tacere, quæ dicenda non ſunt: & tu difficilia obſeruas, quia pulchra. Carpant alij taciturnitatem tuam, modò prudentiam probent. Ego video te poſſe tacere etiam tunc cum confidentiam habes in ventre ex lepido victu, vino, ornamentis, & inter pocula pulpamentis. Equidem non invideo tibi hanc fidem & taciturnitatem, qui hoc ſolum à te expeto ne quid ex arcanis Romani imperij mihi credas, homini priuato. Vbi Secretarius ero, qualem tu me ſalutas, volo tecum multa ſcire, & pauca loqui. Aquam non feres cum tenueris, quia juuenis vinum fers, quod te nō facit rimarum plenum. Nō vinum Secretarijs moderari, ſed vino ſecretarij ſolent, qui quidem probi ſunt & fideles. Verùm qui futilis eſt, ſi bibit, ſiue adeò caret temeto, ab ingenio futilis eſt, & rimarum plenus. Cæpi quidē ſcalam Secretariatus conſcendere præeūte & manu ducente noſtro Heroë, nec priùs ab aſcenſu deſiſtam, quàm gradus inveniam ruptos: nec poſſum, niſi cum ipſis ramis quos com-

comprehenderam, decidere. Stultus est qui fructûs arborum spectat, altitudinem non metitur. Ridiculus, qui ad altiora semper ambitiosè aspirat, odiosus qui ea consequitur: miserabilis, qui spe fallitur. Mihi nihil horum placet, & nec stultus, nec ridiculus videri debeo, quia officium illud nō ambitiosè, sed meticulosè petij, tanquam Cæsaris candidatus. Ad illam verò dignitatem evectus divinâ favente gratiâ odiosus non ero, qui majorem haudquaquam habiturus sum umbram Secretarius, quàm homo privatus: nisi tu fortè umbram meam crevisse existimes ex eo, quòd incedam vno famulo comitatior. Miserabilis quoque esse nolo, qui malim defunctus opes inimicis relinquere, quàm vivus amicis egere. Quicquid Deus ille noster dat, excipio libenti animo, & hilari fronte, Secretariatum ipsum, ad quem noster Heros me promovit, quod nunc primum ex tuis & ampliss. Vertemanni litteris didici, cum has clausurus essem. Gratulationem tuam, imò operam adjutabilem, á benevolentissimo affectu profectam grato animo accipio, quem factis malo ostendere, quàm verbis ostentare. Vale. Viennæ prid. Cal. Aug. M. DC. XXX.

EPISTOLA CIII. *Ratisbonam.*

Illust.mo & Excellentiss.mo Dn. Dn.

VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

PRout nobis res dant sese, HEROS, ita magni & abiecti sumus; ex magnis honoribus, magni fiunt animi: sed nihil tam difficile, quàm differre gaudia. Ego, ut verum fatear, magno quidem gaudio delibutus incessi, ex relatione Nobilissimi Vertemanni, de nouo illo beneficio, in me collato: sed certè gaudio illo non sum ita ebrius, ut nesciam fortunam meam reuerenter habere, & intra cuticulam me continere. Nouus quidem sum Secretarius, sed vetus, & idem Hunterus: id est, æterno honoris & amoris cultu Tibi addictus. Egi nuper Tuæ Excellentiæ pro liberalissima promotione, gratias, si non tantas, quantas debeo; saltem habui, habeo, & habiturus sum quantam maximam animus meus capere potest. Ingratum hominem semel delectat beneficium, me semper oblectabit: & quamuis nulla referendi ratio à me excogitari potest, lætum tamen erit, nec un-

nec unquam odium pro gratia reddetur. Tantum abest ut deserto Illustriss: comite Alberto Ratisbonam proficisci cogitem injussus, ut paratus sim in eius gratiam nouo illi Secretariatui renunciare, si utilitas eius ita poposcerit, & me multò meliorem, atque doctiorem præfectum habere non poterit, peregrinationis suæ comitem futurum. Nunquam profectò contemnam eum, cui hoc ipsum debeo, quod mihi placeo. Neque mihi ita blandior ob honorem illum ad me delatum, ut credam umbram meam nunc esse majorem, quàm fuit antehac. Et si quando pennas laudatas instar pauonis aut auis Iunoniæ explico, è vestigio aurem mihi pervello & dico: quid tibi accidit Huntere, ut pro præfecto non malo, malus Secretarius nominari concupiueris? Sed arrogantiam, & superbiam non timeo, quamdiu meditor somnium esse hoc animal, quod currit, nauigat, ædificat: quod dignitates atque honores appetit: quod nummum quærit, & quæsitum condit: quod vota sua sequitur, ac odit. *ô quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit?* Quicquid habet præter animùm, nec oculi, nec nares ferunt. Vbi primùm hospes ille migrauit, thure & myrrhâ tanquam condimento est utendum,

 ne odo

ne odorem averſetur, qui accedit. Quid eſt homo? pituita & bilis. Cætera non addo, ne aures Tuas offendam. Pudet cogitare, ſed videre magis pudet, quid ſit illud quod tam accuratè colimus. Probrum noſtrum, & infamia, quamprimum animula vagula, blandula, hoſpes, comesque corporis, ſtationem ſuam deſeruit. Hæc ſatis ſuperq; mecum conſideravi in longa, ac infelici tabe Comitis noſtri Alberti, quæ nihil præter cutem & hanc aridam ipſi reliquerat. *Non medicis, non medicis Domine, ſed nomini tuo da gloriam*, quia noſter Comes non tam revaluit, quàm revixit, qui non ab illis, ſed á te recuperavit rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam. *Optimi ſumus, dum infirmi ſumus*, à cupiditabus, amoribus, & dignitatibus abhorrentes: tunc fragilitatis humanæ, & mortalitatis noſtræ memores, honores faſtidimus, opes negligimus, & quantulumcunque, ut relicturi, ſatis habemus. *Virtus in infirmitate perficitur.* Summa votorum eſt, ut ſanitati reſtituti Deo ſerviamus in juſticia, & ſanctitate omnibus diebus vitæ noſtræ. Quod ergo multis verbis, & magnis voluminibus philoſophi docere conantur, hoc Plinus junior breviter nobis præcipit, ut *tales eſſe ſani perſeveremus, quales nos futu-*

futuros profitemur infirmi. Damnet me Deus voti mei, & Tuæ Ex.ª valetudinem firmam servet. Viennæ Austriæ, 3. Non. Aug. M.DC.XXX.

EPISTOLA CIV. *Ratisbonam.*

Reverendiss.º & Sereniss.º Principi Dñ. Dñ.

ANSELMO CASIMIRO *Archiepiscopo & Electori Moguntino. S.*

IMprobus homo essem, si beneficium à Tua Celsitudine petere tantũ scivissem, nũc verò pro accepto, & in me collato gratias agere nescirem, non quidem tantas, quantas debeo, sed pro ingenij mei capacitate, quàm maximas animus meus capere potest. Sentio profectò magnitudinem hujus beneficij, & Tua Celsitudo etiã sentiet me sentire. Alij quod magnificis verbis prolixè pollicentur, tardè admodum vel nunquam præstant, in pollicendo liberalissimi, in præstando procrastinatores odiosissimi: qui inani verborum ambage clientes suos pascunt, & verba dant pro farinis. Tua Celsitudo quod mihi homini ignoto, & nunquam viso promittere non potuit, libenter citoque præstitit: imò prompti-

us, laxiusque quàm meo Patrono pro me intercedenti polliceri voluit. Hoc verò Tibi ſemper erit magnificum, officioſâ feſtinatione hominum vota prævenire, neque id quod publicè eſt neceſſarium, pati eſſe ſerum & intempeſtiuum. Ingenuè fateor: verba mihi deſunt apta, & accommodata, quibus hoc beneficium dignè celebraturus eram. Sed hoc me conſolatur, quod heroicæ Tuæ virtutes voce meâ & ſtylo auguſtiores, patiantur ſe religione, ac ſilentio coli. Nunquam Tibi gratias, tanto beneficio pares agere poſſum, illud certè non deſinam ſemper & ubique fateri, me nec agere, nec habere, nec referre poſſe. Si quæ verò referendi ratio excogitari poſſit, de ea ſollicitè cogitabit Excellentiſſ. Præſes, qui in rationes ſuas referet, quod me hominem exoticum, & ob fidem Catholicam patrio ſolo exulem, tantâ humanitate, & tam benignè complexus ſis, contra vota & ſpem malevolorum. Sed valeant invidi, & viuat Tua celſitudo eccleſiæ Catholicæ, & Romani imperij commodis promovendis quàm diutiſſime, meo & omnium ſuorum clientium voto. Viennæ 3. Non. Aug.

M.D C.XXX.

EPI-

EPISTOLA CV. Ratisbonam.

MATTHIÆ VERTEMANNO *Sac. Caes. Majest. Senatori aulico. S.*

NUllus mortalium ad tam excelsum perfectionis gradum in hoc mundo pervenit, vt non aliquâ honoris, dignitatis, & laudis suavitate tentaretur. Nemo tam sanctus, & perfectè humilis est, qui non aliquâ dulcedine gloriæ capiatur. Diogenes Cynicus, erro, domo & patria carens, mendicus, sordidè vestitus in diem vixit: nihilominus tamen in his non minus sibi placuit, quàm Alexander in terrarum orbis imperio, cum subactis indis Babylonem reuerteretur. Quidam pretioso vehiculo gloriantur, quidam sordido. Quidam sub veste fusca, vili, sordidâque plus celant gloriæ, quàm alij diuites in holosericis, ac byssinis. Antisthenes habebat pallium pertusum, idque obvertens omnibus dabat inspiciendum: sed Socrates per fissuram pallij vidit ejus inanitatem, qui nec suâ carebat ambitione: Quippè munera ab Alcibiade ambitiosè missa, Socrates ambitiosè recusauit. Cato, seculi sui decus, vno caballo erat contentus, & ne toto quidem: partem enim

sarcinę ab utroque latere dependentes occupabant. Sed ille ipsus, morum censor acerrimus, ex vnico caballo, & sarcinis adhærentibus gloriã captabat quàm maximam. Viri religiosi, qui libros de aspernanda gloriâ scribunt, in illis ipsis nomina sua inscribunt, & ubi prædicationem & nobilitatem pro ludibrio habent, ibi prædicari se & nominari volunt.

— — *An erit qui velle recuset*
Os populi meruisse?

Calcant alij meũ fastum, sed suo fastu: quemadmodum Diogenes culcitram Platonis. Sed ita sublati animi non sum, neque mihi ex nouo hoc officio tantum arrogantiæ accessit, ut velim non vocatus Ratisbonam sine pennis volare. Quamvis *noceat differre paratis*. Majori sanè amore Illustriss: Comitẽ Albertum complector, quàm vt velim infaustâ & intempestivâ diuisione ab ejus complexu divelli. Sola mors extinguet hunc ignem, qui interiorem mihi edit medullam. Finio; & à magno Deo tibi valetudinem firmam, mihi Sophiam conjugem deposco. Viennæ 3. Non. Augusti M.DC. XXX.

EPI-

EPISTOLA CVI. *Viennam.*

JOANNES KIELMANNUS JACOBO HUNTERO S.

Fui hisce diebus agens & patiens uno ictu. Agens quidem, impingendo colaphum ei, qui centum promeruerat, Patiens verò dum propterea excidi gratiâ suæ Ex.æ Ad prius redeo; is noster N. nescio quibus me convitijs reiteratis aliquot vicibus excipiebat, existimans me usq; adeò esse togatum, ut longitudo togæ impediret certantem & digladiantem. Sed suo damno contrarium expertus, vidit in arte Martem, in toga militem, sed privatum, domesticum, pugnis pugnantem, ne in pœnam edicti inciderem.

Ille se, his auditis, ad verberandum præparat, ego jã paratus ipsum prævenio, & quod mihi minabatur fulmen in ipsum

retorqueo. Is postea suis diffidens viribus apud suam Excellentiam me defert, & ratione violati juris hospitij incusat. Quæ itidem minabatur de licentia mihi danda: ego in præveniendo felix, (utinā econtra in felicitate præveniens) licentiam expetij, quam & obtinui. Vici hominem, melius vinxissem, quò minus Excellentiam suam potuisset adire. Forsan ex mala causa bonus ortus est effectus. Nimirum ex jurgijs mea libertas. Hoc unū serio doleo, quod ex tā levi principio, extra patriam, tam brevi, cum Magnate tali, à quo totus dependere in voto habebam. Sed esto! nihil eludit illos, qui animose ludunt. Marti me consecrabo, tanquam primo meæ, sive fortunæ, sive infortunij authore. Forsan Pallas mihi noverca, Bellona econtrà mater

ter est. Hæc omnia nec mihi recensere, nec tibi legere erit molestum, utpote quem usq; adeò meum scio, ut omnia mea sive prosperæ, sive adversæ sortis tecum communicem, quid dicam, communicem? jmò ex æquo dividam. utinam hîc esses; tua præsentia mihi foret solatium. Multa successa non successissent. Quare diploma tuæ vocationis ad aulam non conficiatur, vix penetro, hoc scio certo certius in te esse collatum vacans officium, ob quod tibi congratulatus sum ante quatriduũ. Animum cõfusum sequitur confusus stylus, qui fortè ut mihi scribenti, sic tibi legenti erit molestus. Intercedas pro me apud suam Excellentiam, ut saltẽ ad alia aspirantem non impediat, si promovere nolit. Vale, meq; te seriò amantẽ dilige. Interim colo Illustriss: Comitem Albertum,

tum, ejusq; manus, quas aliquando præsens licet tunc temporis ex infirmate imbecilles osculatus sum; ijsdem nunc ob convalescentiam lætitia plenus advolvor. 27. Iulij. 1630.

EPISTOLA CVII. *Ratisbonam.*

JOANNI KIELMANNO. *S.*

QUo pede nunc utaris, ignoras: nec quid agas, invenis, nec quid nolis, velisue, nec satis utilitas est tua nota tibi. Manus tuæ sanguinem, & victoriam adhuc cruentam redolent. Quanta tua animo audicia naturâ, aut moribus inest, tanta in bello ciuili, & domestico non ita pridem paruit. Non es ex illorum innocentium numero, qui accepta alapâ, alteram maxillā præbent percutiendam: sed potius ex masculina illa *Mannistarum* secta, qui antequam feriantur, feriunt; priusquam verberentur, verberant; & dentiloquos mortales faciunt. Iratus, nihil nisi lapides loqueris. Ex legibus XII. Tabularum didicisti jus Talionis, alapam pro alapa, pugnum pro pugno: Sed ex jure Crabro-

bronum centum colaphos das pro uno. Abi, Patrizas: virum te judico. Quemadmodum beneficijs vinci turpe judicas: ita injurias accipere, & agere gratias pro acceptis, aulicum esse non militare facinus putas. In referenda gratia, & reponenda injuria imitari gaudes agros fertiles, qui plus multò reddunt, quàm acceperunt. Etenim si illis, quos credimus nobis obfuturos, non dubitamus ægrè facere, quales in illos esse debemus, qui iam obfuerunt, qui malam mentem, malum animum ostenderunt, & iniuriam aliquam notabilem intulerunt. Quid forti suavius, quàm vindictam manu sumere? inimicum ulcisci, vitam est accipere alteram. Nemo prouocare; nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse, si pugnet. In audaces, non est audacia tuta. Magni sine dubio facis illam diem, quæ magnitudinem animi tui, & te virum fortem monstrare potuit. Tutius quidem fuisset fictis contendere verbis, quàm pugnare manu: sed melior tibi dextra, quàm lingua est. dummodo pugnando superes, parum referre arbitraris, si alij vincant loquendo, & conviciando. Sed heus tu, malè vincit, quem pænitet victoriæ. Melius est ignoscere quàm post victoriam pœnitere. Sed factum infectum fieri nequit,

nequit. In re mala, animo si bono utaris, juvat. Turpe quidem contendere erat, sed cedere visum tibi turpius. Veterem ferendo injuriam, invitamus novam. Audendum tibi aliquid, si vis esse aliquid. *Quem neque gloria, neq; pericula ad honesti nominis, & bonæ famæ defensionem excitant, ne quidquam hortere, timor animi auribus officit.* Verum enim verò satis superque generosum animum ostendisti, qui major est in inferente periculum, quàm in propulsante. Nec dubito quin sævientem fortunam, in adjutorium tui pudore victam propediem sis conversurus. Vnum cave, ne ita ferveas, ut extra ollam ebullias, nec desilias (quod proverbio dicitur) è sartagine in favillas. Quicquid poteris posterioribus, & sapientioribus cogitationibus emendare, emenda & Vale. Viennæ 19. Cal. Sept. M.DC.XXX.

EPISTOLA CVIII. *Ratisbonam*

Illust.[mo] & Excellentiss.[mo] Dñ. Dñ.

VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss.* S.

NOn minus otij, quàm negotij rationem esse reddendam, à viro Romano ego Normannus didici: qui triennium perpetuum, cum Illustriss: Tuo filio Comite Alberto otiatus, & negotiatus sum. Sed quo ordine, quo studio, quo successu, nondum Tuæ Excellentiæ aperui. Nunc quia tempus monet, & locus est narrandi, narrabo: ut videat militem Suecum in aula sua annonam gratuitam non comedisse, nec ad mellificium apum ignavum fucum fuisse. Quando primùm veni, unico Tuo gnato custos & moderator adhibitus, generosissimum ejus ingenium civili eruditione limaturus & perpoliturus, probæ materiæ non improbus artifex, inveni in illo *non tabulam rasam, sed nudam,* in quâ nihil ferè depictum erat penicillo preceptoris, sed in qua omnia possent depingi. Proindè fortiter, & severâ semper lege illum amavi, tantoq; plus laboris quotidie, & jugiter ab illo exe-

lo exegi, quantò majorem & certiorem de illo ſpem initio conceperam. Expergefeci illum ad ſtudiorum ſuorum telam texendam maturè, horâ ſæpe quintâ, plerunq; ſexta; & cubiculario Domini ſui corpuſculum veſtiente, ego animum herilem ſtudioſè veſtivi, & adhuc curioſiùs veſtio. Dominicis quoq; & feſtis diebus, non paſſus ſum illum eſſe otioſum, ſed ſudorem illi, & interdum lacrymas extorſi: qui ſeveritatem meam, & nimis diligentem adoleſcentiæ ſuæ cuſtodiam tam diu fortaſſis oderit, quàm diu ſibi gravem & moleſtam judicauerit, beneficiorum meorum iudex, & cenſor nondum maturus. Viâ & methodo uſus ſum partim veteri, partim novâ, veſtigia ſequutus prudentium. Illud ex patribus Eccleſiæ prius docui, quod maturiùs mouet ad ſalutem: illud ardentiùs, quod vehementius ad amorem Dei, & omnium ſanctorum imitationem trahit. Illa didicit ex *Auguſtino, Hieronymo, & Bernhardo* (quorum linguâ orat & meditatur) quæ dum luce inter mortales fruetur, vitam præſtabunt ſuaviorem, & poſt migrationem ex hoc ſeculo, ſpem faciunt certam felicitatis æternæ. Non ſum ita temerarius, ut illum dicam ſcire quod neſcit: neque ita ingratus, ut illum negem ſcire, quod ſcit.

ſcit. Plus profectò ex vera Patrum Theologia didicit de ecclesia Catholica, ejuſque fide contra hæreticos; de providentia contra Atheos; de incarnatione filij Dei contra judæos & Ethnicos; quàm ego ſcivi viginti quinque annos natus: quæ omnia probè intelligit, & memoriâ tenet. Ibit de virtute in virtutem, per ſcientiam ad diſciplinam, per diſciplinam ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem. Ordine perveniet, quò non ire licet labore. Ab initio rudem adhuc, & infirmum animum diſcipuli multitudine, ac varietate præceptorum Gramaticæ, Rhetoricæ, & Logicæ *de entibus rationis in ſola mente exiſtentibus* non oneravi: quia *ars debet imitari naturam*, & ab illis incipere eſt methodus contra naturam, quæ obſervatur in Scholis publicis. *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuit in ſenſu.* Cæcus natus non poteſt judicare de differentia colorum: neſcit quid album, quid nigrum. Surdus natus non poteſt percipere differentiam ſonorum, & linguarum eſt incapax. *Deficiente ſenſu, deficit intellectus.* Senſus, *interpretes ac nuncij rerum*, in capite tanquàm in arce, mirificè ad uſus neceſſarios & facti, & collocati ſunt. *Entia* verò *rationis*, quæ neque res ſunt à DEO creatæ, ne-

que rerum nomina ; non objiciuntur sensibus. Oculi dicunt, si *entia rationis* non sunt colorata aut lucida, per nos non intrabunt. Aures dicunt, si sonitum non faciunt, per nos nõ transibunt. Nasus dicit, si non olent per me non ingredientur. Gustus dicit ; si nullum saporem habent, per me non introibunt. Tactus etiam addit, si tangibilia non sunt per me non introducentur. Proinde non ab entibus rationis ad entia realia; sed ab his ad illa progrediendum est : à sensibilibus ad intelligibilia, à rebus ad nomina, à rerum nominibus ad nomina nominum ; qualia sunt entia rationis. Nulla est res in cælo vel in terra, quæ vocatur *Nomen, Pronomen, Verbum, Adverbium, Participium, Conjunctio, Præpositio, Interjectio.* Nulla res invenitur in mundo, quæ appellatur *Exordium, Narratio, Partitio, Confirmatio, Reprehensio, Conclusio.* Nulla res reperitur in toto orbe terrarum, quæ nominatur, *Subjectum, Prædicatum, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. Enunciatio, Axioma, Effatum, Propositio, Assumptio, Conclusio. Syllogismus, Solœcismus in Barbara.* Ab his tamen & similibus nulli sensui expositis, incipiunt torquere ingenia humana, tenera, rudia, infirma, *qui nesciunt incipiendum esse à notioribus.* Notiora autem

tem ſunt entia realia ſenſibus obvia, quàm entia rationis, quæ ſub nullum ſenſum cadunt. Quorſum igitur Pædagogi publici & privati præcepta Grammaticæ memoriter diſcenda obtrudunt pueris, quæ non capiunt. *Tantum diligimus, quantum intelligimus. Ignoti nulla cupido.* Quorſum Grammatici tam operosè & odiosè rudibus animis inculcant ſuas regulas de entibus rationis? *Grammaticè qui loquitur, ſæpe minimè Latinè loquitur.* Exempli gratia: *Non habeat mihi pro malo Magiſter noſter, mirabiliter ſolidatus in Grammatica formalis in diſputando, arguens pro & contra, ſolœciſmum faciens in Barbara, quod dicam illi unam congruam veritatem: in conſcientia, non poſſum ſupportare illius Grammaticationes & ſophiſmata. Sed ſi miſerit ſe in iram, volens ſe percutere cum me, ego mittam ſolvere collum meũ, niſi caput illi faciet malũ. Habeo etiam ego magnũ cor, & magnam audaciam: percutiam illum in adjutorio linguæ latinæ, realiter in effectu. Capiat ſibi hoc Magiſter noſter in Grammatica, & valeat.* Ita purus putus Grammaticus cum omnibus ſuis regulis, non loquitur niſi barbarè, ſordidè, inquinatè.

Grammaticus bonus es, nil præter grammata noſti:
Scis præter literas nil, literatus homo es.

Optimi quiq; linguæ latinæ authores fuerunt peſſimi Grammatici. Hinc ego nec debui, nec volui ini-

tium facere à regulis Grammaticæ, quæ studiosum non docent latinè loqui, sed tantum *regulariter* & *formaliter*, id est, *congruè & barbarè*. Non volui nobilissimum ingenium *entibus rationis* initiò obtundere, ne aut desertorem studiorum efficerem, aut cum magno labore, sæpè etiam cum desperatione (quæ plerumque juvenes avertit) seriùs ad id perducerem: ad quod, leviore via ductus, sine magno labore, & sine ulla desperatione, maturiùs perduci potuit. Longum est iter, spinosum & vanum per præcepta Grammaticæ ad parandam latini sermonis elegantiam; breve & efficax per exempla Oratorum & Poëtarum: quos qui diligenter triverit, non poterit etiam volens nisi latinè, purè & politè loqui. Noster Comes Albertus novit Romanæ linguæ Proceres, Ciceronem, Plautum, & Terentium. Ex historicis, Justinum, Sallustium & Tacitum. Plutarchum etiam sibi conciliavit, ex quo magnam partem Apophtegmatum ad Trajanum Imperatorem absolvit. Ex Cicerone præcepta Rhetoricæ edidicit. Ex Seneca Philosopho & Rhetore plerasque Controversias pro utraque parte differentes, (ab *Andrea Scoppio* Soc. Jesu juventuti utiliter comendatas,) memoriter tenet. Ex Iustino duos ferè libros memo-

riæ

riæ mandavit: multa ex Tacito, multa ex Sallustio, quæ prudentiam civilem augebunt. Ex institutionibus juris didicit quid justitia, quid jurisprudentia, quæ juris præcepta, quid jus publicum, quid privatum, quid naturale, quid civile, quid gentium: quid lex, plebiscitum, senatusconsultum, principum placita, responsa prudentiũ. Item ex Lib. L. Digestorũ diversas Regulas Iuris antiqui. Axiomata philosophica à philosopho didicit, & Syllogismũ insuper in Barbara facere sine Solæcismo, quod multi Bacchalaurei nesciunt. Omnis ejus profectus ex auditione & lectione procedit: quæ nescit, illis intervenientibus discit, quæ didicit, repetionibus conservat. Neque scire contentus est, sed expetit aliquem fructũ scientiæ: didicit quæ mox imitabitur, nec desinet unquàm cũ illo loqui Græca & Romana vetustas. Nunc judicet Tua Ex.ª pater de filio, utrum hic bonas horas bene collocarit, qui triennio tantum facundiæ, & prudentiæ collegit, & in tot eminentium authorum, sacrorum & profanorum noticiam atque familiaritatem se insinuavit Deo duce usus, me parario: qui aliquid me scire gaudeo, & maximis curis ac laboribus compenso eam quàm docendo capio voluptatem. Ita quæ ipse

seminavi, meto, & Tuæ Ex.æ labores meos & fructus commendo. Viennæ Austriæ Cal. Septemb. M.DC.XXX.

EPISTOLA CIX. *Viennam.*

HUGO GROTIUS J. HUNTERO. S.

IAmdudum auebam scire, Huntere Clarissime, quid evenisset tibi. Nam qui & eruditionem tuam nossem & pietatem, addam etiam si permittis, amorem in me, tot tibi publicis privatisq; obstrictus nominibus, omnia tibi summa optabam. Video & ex literis, & ex illo quem misisti uberis ingenij fætu, esse te in domo eminente, admotũ spei adolescentis illustris; qui te duce feliciter insistet virtutis atq; eruditionis callem. Gratulor utriq; & tibi, qui locũ nactus es in quo & fidem tuam & bonas quibus tinctus es artes posses ostendere & illi qui tam nobili solo

ſolo tam diligentem nactus eſt agricolam. Spes, ſubit futurum vt ex tua ſemente Germania præclaram frugem metat. Multũ autem te laudo qui inſtitutionis diligentiam non ad apices diſputationũ, ſed ad ſolida præcepta referas. Litigioſa ſapientia ad ſpeciem tantum valet: vbi ad rem ventum eſt,

Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

Multum quoque me deuinxiſti cum virum Ampliſsimum Vertemannum ſignificas eo eſſe in loco, qui meritis ipſius reſpondeat. Gallicana legatio in hoc ei vtilis fuerit, quod melius jam quàm cæteri Galliam nôrit. Holſteinio quàm bene velim poſt ipſum non alium quàm te teſtem capiam: vnde intelligere potes quam mimihi ſuaue ſit intelligere ipſius res ſemper in melius procedere. Quanquam vero hoc

quod ipsi mandatum est iter honoris est plenißimum, ego tamen cum eò reuersum malim intelligere vnde nobis plurima Pythagoricæ Platonicæq́ disciplinæ, nec minora in Geographicis studijs promisit. Est enim in utroq́ hoc litterarum genere ita exercitus, vt neminem norim à quo majora sperare debeamus. Syngrapham quã mihi commendauerat Petrus Hartzwig, ita uti commendauerat obsignatam bene seruo eadem diligentia, quà ea quæ carißima habeo Si aut ad te mitti velis, aut amico alicui tradi, exsequar mantum. Quod si quis etiam hic sit qui negotium illud cum Iohanne Cornetto pro te tractare poßit, ei & consilio adero; & si opus est apud amicos commendatione. Secundas, inquam, ferre poßim: nã primas sibi postulat Gallus aliquis, hominum & morum, & fori gnarus. Cæterum quicquid

meæ

meæ est copiæ, idomne tibi dictumputa. In Italia bellum ab Hispano in Sabaudum conuersum est. Laborat tamen ad pacem Pontifex, quæ meo quoq; , vt scis, judicio, triumphis innumeris potior. Faxit eam videamus is qui pacem suis omnitam seriò commendauit, idemq; te, mi Huntere, sospitet. Lutetiæ 11. Iunij. M. DC. XXX.

EPISTOLA CX. *Ratisbonam.*

Reverendiss.o & Sereniss.o Principi ac Dño, Dño
CASIMIRO ANSELMO, *Achiepiscopo, & Electori Moguntino.* S.

NIhil est difficiliùs, quàm magnum & justum dolorem paribus verbis depingere atq; exprimere. ô crassum infortunium! antequam felicitatem Secretariatus mei nossem, exemptus sum. *Vltimum malorũ est*, secundum Stoicos, *ex vivorum numero exire, antequam moriaris.* Ego ante vitam Secretarij vivere desij, quàm inciperem. Facinus animad-

versione dignum; luget HUNTERUS & aliquid propitio dolet ELECTORE MOGUNTINO, hoc sine dubio magna cum ambitione fortuna captasti, ut palam faceres, Hunterum contra te, ne à maximo quidem maximi Imperij Archicancellario defendi posse. Sed quis mihi benedictionem à Tua Celsitudine donatam abstulit? Bonus? non credo. Malus? non miror. Imperator? si reum & malè promeritum, & hoc supplicio dignum me punivit, cedo justiciæ: Si innocentem, cedo fortunæ. Deus? tam perdo operam cum illi irascor, quàm cum illum alteri precor iratũ. Homines potentes? fortunæ manus sunt. At potentia suâ abutuntur, qui illâ non ad ædificationem, sed ad destructionem utuntur. *Quid gloriantur, qui in malitia potentes sunt? Qui gloriantur, in Domino glorientur.* Viri Religiosi? irreligiosè admodum *contra puram & sanctam à Iacobo Apostolo descriptam religionem peccarunt.* Philosophi? *cavete ne quis vos decipiat per inanem philosophiam.* Theologi? veræ Theologiæ sunt vel ignari, vel inimici, qui imperatori persuadent *peccatum esse originis* natum esse inter Suecos & Gothos, & hoc obstare, quò minus quis possit in Germania ad officia civilia vel publica admitti. Jurisprudentes? nullo jure

Jure sunt prudentes, qui à janua jurisprudentiæ aberrant. Imperator est ne tantum Imperator Germanicus? nónne etiam est Alemannicus, Gothicus, Francicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus? Est etiam certè *Gothicus*. Patiantur Theologi, religiosi, jureconsulti, FERDINANDUM Cæsarem imitari eum ad quem accedit Deum. Sinant illum esse perfectum, quemadmodum hic est perfectus, *apud quem non est respectus personarum, nulla differentia Judæi & Græci, Germani & Sueci.* Verùm enim verò, quicunq; nunc Secretariū agit, non est quod me victum, victorem se glorietur. Vicit fortuna ejus fortunam meam; & vincet illum fortuna, nisi tota vincatur. Furtum appellant amici mei, quod qui perdidit, damnum fecit: qui surripuit, lucrum. In veteri Testamento felicior fuit, & majorem fidem invenit *manus Esau, quàm vox Jacob*: in Novo plus potuit *vox Esau, quàm manus Jacob.* Sed si magnus cecidit Iacob, magnus jacet.

Esuriens Fratri omne suum jus vendidit Esau,
Iacobus fratri jus dedit omne suum.

In Suecia *ob fidem Catholicam* capite deminutus sum: in Germania Secretariatum perdidi, *quia*

quia Suecus sum. Hoc habet assidua infelicitas boni, quod quos sæpe vexat, novissimè indurat. Et revera durè tractandus est animus, vt ictum non sentiat, nisi gravem. Pusilla res est officium Secretarij, sed ingens res est ejus contemptus. Egòn' mirer me amisisse Secretariatum, amissurus vno die omnia? Egòn' recusem mei Secretariatus finem, cum sciam me sine fine non esse? imò cũ sciam omnia finita esse? Parum refert utrũ Secretariatus mè deseruit, an ego illum. Non diu indignabor inde me exisse, quò admissus sum præcariò. Amisi Secretariatum? *Iubet me fortuna expeditius philosophari.* Utrum stultius sit nescio fortunæ legem ignorare, an impudentius recusare: cui nullus vnquam sapiens maledixit virtutem adeptus. Ego naufragium meum æquo animo fero, sine risu, sine lacrymis: quamvis ob hanc jacturam malim imitari Democritum, quàm Heraclitum. Humanius enim est deridere illos, qui spem nostram fallunt, differunt, intercipiunt, quàm flere: *qui nec suam fortunam sic in potestate habent, quemadmodum alienam.* Quod mihi immeritò accidit, illis qui injustum commiserunt erubescendum est: *qui contra legem & prophetas fecerunt mihi quod sibi nollent factum.* Athenienses *sciunt*

sciunt quæ honesta sunt, sed non faciunt: Christiani Catholici qui sciunt, *beati erunt si fecerint.* Sed peringratus essem si amisso Secretariatu, pro accepto nihil debere vellem. Jucundum est quod habui, humanum quod perdidi.

Deprimitur nisi pes alter, non tollitur alter:
Sic casu alterius, tollitur alter homo.

Summam Tuam in me humanitatem, Optime Princeps, neq; apud me patiar intercidere, neq; dissimulabo. Animum certè memorem, & gratum polliceor, qualem debet habere fidus clientulus, erga Dominum & Patronum optimè meritum. Oro superos vt in multos annos Tuam Celsitudinem servent, illiq; meritorum cumulum addant. Viennæ Austriæ 6. Id. Sept. M.DC.XXX.

EPISTOLA CXI. Ratisbonam.

Illust.mo & Excellentiss.mo Dñ. Dñ.
VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Præsidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

LIcet ob fidem Catholicam in Suecia capite deminutus sim, HEROS, nihilominus tamen hoc capite in Germaniam translato fautores in aula Cæsarea inveni viros

ros principes, inter quos Tua Ex.ª excellit, cujus Patrocinio in comitijs Ratisbonensibus honore Secretariatus Cæsarei auctus eram. Sed opinione citius exauctoratus sum; quia non licet Sueco arcana imperij cognoscere, grassante in Pomerania Suecorum Deo GUSTAVO ADOLPHO; qui sibi nihil non licere putat pro Lutheranismo facere: qui terras armis obsidet, cœlum sagittis, maria vinculis. Germani nisi succurritis, Germania capta est. Gustavus Sueciæ magnus est: Gustavo Suecia augusta: quem Pomerani hæretici flexis genibus adorant, nescientes esse *Deum inversum.* Venit, vidit, sed non dum vicit: & hoc ipso quia Cæsar non est, Cæsaream Majestatem ambit, quemadmodum superioribus annis Rex Daniæ: sed illa Sacra & Catholica Majestas procos Lutheranos spernit, ridet, ludit. Quicquid sit, nulla calamitas sola. In Suecia omni jure patrio exutus sum, quia deserto fugitivo Monacho, ejusq; hæresi repudiatâ Ecclesiam Catholicam ingressus sum, *quam qui noluerit habere matrem, non habebit Deum patrem.* In Germania Secretariatum virtute Archicancellarij in me collatum amisi, quia in Suecia natus sum. Xenocrates passerem, qui fugiens imminentem accipe-

accipitrem ſeſe in ejus ſinum conjeciſſet, texit, fovitq́; ac demulcens dixit *Supplicem non eſſe prodendum.* Ego fugiens tyrrannidem & barbariem Lutheranam, à GUSTAVO ad AUGUSTUM me recepi, id eſt, ab injuſto Rege ad juſtũ Cæſarem: & hunc ſupplex propitium inveni, & propitium mihi ſemper ſervaſſem, niſi quidam philoſophi jure-conſulti, Imperatori optimo, & per omnia dijs quàm hominibus ſimiliori perſuaſiſſent *ſupplicem eſſe prodendum.* Patiatur, inquiunt, Suecus Catholicus propter Suecum Lutheranorum Deum. Sed *quo jure pro illo Deo patiar, in quem non credo, & pro quo graviſſima quæuis paſſus non ero Dei Martyr?* Pergant philoſophari noſtri jure-conſulti. Qui in Suecia inquiunt capite deminutus eſt, dejiciatur de gradu Secretariatus: nam non ſumus ita imprudentes fidei Catholicæ fautores, vt velimus Secretarium habere ſine capite. Quid, an ignorant philoſophi vnum idemq́; corpus poſſe per *potentiam Dei extraordinariam* eſſe in duobus locis ſimul, in vno mortuum, in altero vivum: in illo, capite deminutum, in hoc, capite ornatum? Ego in Suecia careo capite, in Germania non deſtituor, illic decollatus, hîc capitoſus, ſub Suecorum Deo mortuus, ſub Romano

mano Imperatore vivus. Audiamus iterum jurisperitos philosophantes. Qui in regno Sueciæ mortuus est, non potest, *ullo jure natura* in Romano Imperio vivere Secretarius. quasi dicerent: *Fides Catholica in Suecia jugulata, non potest ullo jure naturali in Germania vivere, regnare, & triumphare.* Docti; quàm indoctè! Insurgunt denuò, & mera axiomata loquuntur philosophi. *Quodlibet est, aut non est. Impossibile est idem esse, & non esse: quia implicat. A privatione ad habitum, à morte ad vitam, à capitis deminutione ad capitis restitutionem non datur regressus jure naturali. Hunterus in Suecia mortuus, non potest in Germania resurgere.* Imò imò jam resurrexeram resuscitatus à Pijssimo, & Potentissimo Imperatore, FERDINANDO II. qui clamavit voce magnâ: *Huntere veni foras.* Ego dicto audiens respondi: *Domine quid me vis facere*? Quia, inquit, mortuus es in Suecia propter fidem Catholicam, vives apud nos Secretarius aulici nostri consilij. Deinde conversus ad suos ministros, qui habent potestatem solvendi, dixit: *solvite illum, & sinite abire liberum*, vt nobis serviat in fide Catholica, & prudenti taciturnitate omnibus diebus vitæ suæ. Illis verò me viso indignantibus, & quærentibus: *Amice, quomodo venisti ad aulam*

Cæsa-

Cæsaream, & ad Secretariatum Imperialis aulici consilij, non habens vestem aulicam? respondi me venisse viâ regia per *Vice præsidem ad Præsidem; per Præsidem ad Archicancellarium; per Archicancellarium ad Imperatorem per; Imperatorem ad Iurisconsultos; per hos ad Responsa prudentium; per hæc eò unde digressus sum* ad Præfecturam meam. Jure-consulti quàm inconsultè! Prudentes quàm imprudenter! Humani quàm inhumanè se gesserunt! Quare? quia, *turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.* Nobis, inquiunt, sic usus est, tibi ut opus est facto face. Ita faciam, & ne iratus quidem colere desinam quem oportet. Primus est Cæsaris cultus, Cæsarem credere Imperatorem esse *Pium, Felicem, Inclytum, victorem ac triumphatorem semper Augustum.* Deinde reddere illi majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Verũ enim verò, si quis à me impetraverit ut credam jucundum esse navigare, deinde neget navigandum in eo mari, in quo crebra naufragia fieri soleant, & frequenter subiti ventorum tumultus atque turbines oriantur, qui vi suâ gubernatorem modò in scyllam, modò in charybdin abigant: puto hic me vetat navem solvere; quanquam laudat navigationẽ. Faxit Deus, mundi gubernator, ventorum

 Impe-

Imperator, & turbinum moderator ut post multos & longos in hoc procelloso mari errores, in cælestem tandem patriam feliciter provehamur. Viennæ 7. Id. Septembr. M. DC. XXX.

EPISTOLA CXII. *Ratisbonam.*

ARMATO RESOLUTO *ad Togam reverso.* *S.*

QUis te ex Germano fecit Hebræum? *Ephata.* Quis tibi manū dexteram tamdiu ligavit, qui tam dextrè solvis ora aliorum? *Ephata.* Quid tibi accidit, miles aulice, ut & manu ligatâ, & solutâ tot committeres solœcismos? *Ephata.* Robusta & agilia corpora, quò plus recessus sumunt, eò majores saltus faciunt: tu quò diutius siluisti, eò plures solœcismos fecisti. Brevitatem tuarū ad me litterarum silentio tuo longiorem esse ais. Pape, præ nimia festinatione calamus tuus in ipso frontispicio solœcismum admisit. Duobus mensibus & amplius tacuisti, momentum verò temporis brevi scriptioni impendisti, & tamen momentanea tua brevitas silentio bimestri longior est. Si sedes Peripatetice, surge, & tussim finge, ut solœcismum tegas.

regas. Quàm te vellem juvare, si possem. Sed etiamsi sæpius tussias; & vetularum decrepitarum, ac Alicerniorum tussim invoces, solœcismus non desinet esse solœcismus. Potuissem tuam brevitatem brevius castigare, sed solœcismi, prolixitate felicius emendantur, quàm brevitate. Doleo certè tuam vicem miles Togate, quia ubi manum extendis; ibi solœcismum facis. Putabas te peccare in philosophiam restituendo quod debes; at illa justitiæ mater; & omnis æquitatis nutrix; nullâ re magis gaudet; quàm restitutione debiti. Non peccas igitur restituendo, sed retinendo quod alienum est. Sed habitualiter loquutus es, logicè non physicè quia *privatio Logica præsupponit habitum*. Idem dicit Paulus non Apostolus, sed Jureconsultus libro 3. ad legem Iuliã & Papiam his verbis: *Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit.* Voluisti fortassis philosophiam cum suis effatis irridere, sed illa ridet sui osores, qui ut videantur Iurisconsulti; nolunt videri philosophi. Si Cujacium consulueris, vellicabit tibi profectò aurem ob peccatum in philosophiam commissum, qui major erat cæteris sui temporis Jureconsultus, quia major erat philosophus. Desine itaque philosophiam tacito convitio mordere;

ne mordearis à philosophis, qui per ejus latus suum jugulum peti sciunt, & morsi mordentis jugulum petunt. At brevitate præstas amicum: ita est, brevis es, & rarus amicus, quia raro, & breviter scribis. Ecce quàm Laconicè multiplicas solœcismos. Verùm enimverò sicuti tu non es ex illorum militum numero, qui acceptâ alapâ, alteram præbent maxillam: ita ego amicorum solœcismos non dissimulo, sed in authores ipsos retorqueo, ut suis armis repercussi discant emendare in posterum. Mittam Solœcismos, atque rem ipsam potius dicam: putavi hactenus te ab amore mei saucium esse, quia jamdiu nihil à te literarum recepi. Sed non debes improbus videri, quia nostræ fortassis interceptæ sunt, & tu ita ignorasti, quantum solvere debebas. Vale. Viennæ 4. Cal. Octob. M. DC. XXX.

EPISTOLA CXIII. *Ratisbonam.*

MATTHIÆ VERTEMANNO *Cæsareæ Majestatis Senatori Aulico.* S.

NOvitatis & antiquitatis admirator mirabilis, mirabilia scribo, miracula mirificus. Credulitatem nuper inveni in ipsa incredulitate, fidelitatem inter ipsos infideles,

fideles, nostræ fidelitatis juratos hostes. Quis putasset me majorem fidem reperturum in Judaismo, quàm in Christianismo? reperi, sed qualem, jam jam dicam. Judæus pecuniam nobis credidit sine pignore, & absque ullius lucri promissione, fidemque nobis habuit illam, quam denegavit Christianus. Carnem suam quis odio habet? Nemo, nec animalis, nec carnalis, nec spiritualis. *Omnium horarum homines, omnibus horis humaniter vivunt.* Sed quis Judæorum non judaizat? qui pecuniam suam Christianis gratuitò credit. Et quis est ille Hebræus, qui nobiscum hebraicè non vivit? Fraterculus Gigantum, junior ille Gigas, qui nobis centum florenos ad fidem dedit sine ullo pignoris intuitu, sine ulla fænoris pollicitatione. *Tam impossibile est Hebræum non esse Hebræum, quam Judæum non esse fæneratorem?* & tamen Gigas pecuniâ mutuò datâ fænus seposuit, Judæus Judæum se esse oblitus pro commodo Christianorum. Hoc primum est miraculum, in Iudaismo novum, in Christianismo rarum. Nunc alterum subjungam de nostro Hispano, qui in ore est omni populo. Amisit ille ante mensem non rapto, sed furto, duo sibi valdè necessaria, *pallium & pileum*: sed in utroque

 casus,

casus, meo judicio, est notabilis. Vocatus nuper in judicium comparuit, & coram Prætore causam dixit. *Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licet statuerit, haud æquus est.* Multa erant argumenta in utramque partem probabilia, quæ & reum condemnare, & absolvere videbantur. Alij censebant perijsse illi pileum & pallium in pænam peccati. Alij ex historiarum lectione de bonorum quoque infortunio certi, judicabant nullam esse consequentiam, *baculus stat in angulo, ergo cras pluet: amisit pallium, ergo est sibi malè conscius.* Quicquid sit, furta ubique locorum crebra sunt, sed rerum furto ablatarum restitutio, & recuperatio rara. Noster Hispanus utramque fortunam expertus est, adversam & prosperam: illam in amissione pallij, hanc in ejusdem recuperatione. Pallium furto ablatum fuit in nostra aula, sed in templo novo Jesuitarũ, quàmvis ex prudentia furum non parum mutatum, agnitum est, & restitutum. Quod Dominus in Hispania dedit, fur in Germania abstulit, id Hispanus in loco sacro recepit. Hinc illa Hispani de sua innocentia ostentatio, quia pallium quod injustè nequitiâ humanâ perdidit, idipsum justè in loco religioso providentiâ divinâ recuperavit. At at hinc illæ vicis-

vicissim de innocentia dubitationes, pileus ejus una cum pallio ablatus cum pallio non rediit. Sed nec hic casus suo caret miraculo. Pileum non recepit Hispanus, vel quia jussu superiorum capite est deminutus, vel quia fæminam militarem in bello incivili inciviliter verberavit, peccato commisso in caput mulieris. Ita judico caput Hispani pileo spoliatum & denudatum esse, quia capiti masculino & fæminino simul violentas manus intulit. *Fures & latrones nihil faciunt frustra.* Tertium miraculum duobus præcedentibus est miraculosius, si litteræ verum nuntiant. Gustavus Adolphus Suecorum in Pomerania Imperator, virtute Cæsarianorũ ejectus esse dicitur ex oppido Volgast. Quod si verum est, jam *Sued.* Deus ille à Cæsarianis vapulavit: nec miror amplius Poëtarum fabulas commemorantes Gigantium bella cum Dijs. Germani hodie bellũ gerunt cum Lutheranorum Deo, quàmvis non sint Gigantes: & illum plorare jubebunt, nisi tempestivè se subducat ex Germania, & redeat eò, *ubi est solitudo ante ostium.* Reliquum est, optare, uti, quæ Cæsari placuerint, ea Deus immortalis approbet, beneq; evenire sinat. Viennæ Austriæ, 3. Non. Octob. M. DC. XXX.

EPISTOLA CXIIII. Ratisbonam.

Illust.^mo^ & Excellentiss.^mo^ Dñ. Dñ.
VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg &c. Equiti aurei velleris, Presidi Imperialis aulici consilij dignissimo, Patrono meo ampliss. S.*

EXcellentissima Domina, nostra Patrona heri manè partui vicina, metu dolorum perculsa tristis gemuit, horruit, tremuit: inter 8. verò & 9. matutinam implorato atq; impetrato auxilio divino filiolam enixa est, *Comitissa Comitissam*, superatis per Dei gratiam certaminis sui difficultitibus.

Flebile principium melior fortuna secuta est.

Nunc pro venustissima prole sibi, & Tuæ Ex.æ bene nata exultat lætitiâ, ac gaudio triũphat, nec immerito: quippe victoriã habet in manibus, tristitiâ in gaudium mutatâ. *Fecit illa virgo mater, ut nostra Heroina feliciter fieret mater.* Quid ipsi dulcius, quàm peperisse sibi similem: & insuper habere cujus jucundum os, oculosque suavietur? quæ non recusabit prole masculâ Illustrissimam familiam Fyrstenbergicam toties augere, quoties Deo visum fuerit illam hâc felicitate beare. Ego cum gaudentibus gaudeo, & soboli bene natæ precor. Servet Deus pio genitori, piæque genitrici

gau-

gaudia tantæ prolis: utrumque verò parentem Generosissimo Domino Comiti ALBERTO sic oranti meo cum voto: qui rationes domesticas absente sua Excellentia administravi abstinenter tanquàm alienas, diligenter tanquàm meas, religiosè tanquàm publicas.

——— *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nullà pallescere culpâ.

Viennæ Aust. Prid. Id. Octob. M.DC.XXX.

EPISTOLA CXV.

Illustriss.o Dynastæ, Generosiss.o Heroi, Excellentiss.o Dño. Dño.

VRATISLAO, *Comiti de Fyrstenberg, Helligenberg, & Werdenberg, Landgravio in Bare, &c. Domino in Hausen, &c. Equiti aurei velleris,* FERDINANDI II. *Rom.* IMPERATORIS, & PHILIPPI IV. *Hispaniarum Regis Consiliario intimo, atq; Bellico, Præsidi Imperialis aulici consilij, Armatæ militiæ colonello, &c. Patrono meo ampliß. S.*

PLinius Junior sanctioris istius, & augustioris eloquentiæ cultor: Vir ætate sua in dicendo elegans, disertus, facundus,

felices arbitratur, quibus Dei beneficio concessum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, felicissimos, quibus utrumque.

Gesta notasse opus est ingens: gessisse notanda
Majus opus ——— ———

Verum enim verò, qui de Te & apud Te dicere audent, Heros, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem. Ego quæcunque Tuæ Excellentiæ gratulatus sum, nulli aut privatim ostendi, aut typis divulgavi, antequam ea constituti super id judices viderint, nec damnarint. Grande erit scriptionis meæ pretium, si publicâ debitæ observantiæ professione, aut laudatus ero, aut excusatus. Viennæ Austriæ,

M. DC. XXIX.

JACO-

M. *Tullius eloquentiæ Romanæ parens, & aureum latinæ facundiæ flumen, elegantiã, copiam, & ornatum bene dicendi tanti fecit, tantôque ejus studio & amore flagravit, ut susceptâ causâ coram centumviris tantummodò agendâ, & die ad dicendum illi dato jam præsente, postquam cujusdam sui servi relatu, rem esse dilatam, & in sequentem diem rejectum onus dicendi didicisset, tantò amore & favore servum unius diei inducias apportantem complexus est, ut illi pro hoc nuntio allato, summum quod habuit pretium persolveret, libertate eum donaret, & manumissione bearet. Ita quamvis Cicero elegantissimus & artificiosissimus fuerit Orator, & omnem suam ætate*

in exercitatione dicendi consumpserit, omnesq́ alios eloquentiâ superarit, semper tamen cum metu dicere incepit: *quod Fabius interpretatur cordati Oratoris, & periculum intelligentis argumentum. Ut mirũ non sit, si ego omniũ imperitissimus, cum timore & trepidatione de magnis ad magnos nunc dicere incipiam. Quoties enim aut dicimus, aut scribimus, toties de nobis judicatur. Unde Pericles Atheniensis Orator ille celeberrimus, in cujus labris posuisse sedem Pitho memoratur, & in quo tanta eloquendi facultas, tanta movendis affectibus fuit vis, ut non loqui aut orare, sed veteris comœdiæ testimonio coruscare, & tonitrua ciene crederetur: non solum timidè ad dicendum processisse, sed quotiescunque verba facturus in concionem prodiret, semper se*

*se novis votis obligasse proditur, sollicitus
videlicet, quo favore esset peroraturus.
Quod si summus ille Orator, qui Oratio-
nis fulgore mentes hominum penetrabat,
omniumque animis imperabat, de sui ser-
monis eventu tantum verebatur, quid
me facere oportet, qui omnis oratoriæ fa-
cultatis expers, utpote homo incultus, no-
vitius, atque tyrunculus, in quo ne ve-
stigium quidem Romanæ facundiæ ap-
paret, qui ex inscitiæ tenebris pedem mo-
do movi, promovi fere nihil. Omnia enim
mea tenuia, humilia, angusta, qui filum
orationis aridum & prætenue sequutus
humi serpo, nunquam assurgo, invitâ
scilicet & repugnante naturâ. Intelligo
nullam in me esse doctrinam, nullum di-
cendi usum, nullam scribendi exercita-
tionem, nullum ingenium excellens, nul-
lam deniq; memoriam quæ sit bonæ fidei*

ieri tamen potest, ut rectè sentiam, & i
uod sentio, politè eloqui non possim.
Unde falsum esse deprehendo illud So
cratis, nos esse satis disertos, satisque fa
cundos in ijs, quæ probè intelligimus
Sed si structices patinarias non habemus
& exquisitissimis epulis regio palato di
gnis destituimur, anne cibarium quidem
panem hospitibus apponemus? Honeste
est Comici Oratio, quando non potes quo
vis, id velis quod possis. Et venti (quod
dici solet) impos, remos arripit. Et qu
thura non habent, molâ salsâ litant. *Ve*
rum enim verò si qua fides Senecæ Philo
sopho, Oratio sollicita Philosophum non
decet, sed quæ veritati dat operam in-
composita esse debet & simplex; quippe
non est ornamentum virile concinnitas:
adeò melius oratorem vel hirtâ togâ in-
duere, quàm fucatis & meretricijs ve-
stibus

ſtibus inſignire. Neque enim oratorius iſte, neque profectò virilis quidem cultus eſt. Periclis orationibus elaboratis, & luculentis nihil ſe commoveri, inquit Alcibiades, ſed Socratis verbis nudis & ſimplicibus. Philoſophum, ſi adferat eloquentiam, non aſpernatur Cicero: ſi non habet, non admodum deſiderat. *Si poſſet Pythagoras vivere ſine cibo, etiam oleribus parceret. Si poſſem ego ſolo nutu & aſpectu, aut minori, quàm ſermonis & ſcriptionis operâ animi mei ſenſa expromere, aliiſque communicare, omnino non loquerer, neque ſcriberem, tantum abeſt ut linguam poliam, aut ſtylum exornem. Quicquid ſit, dicam quod ſentio, quodque ſub acumen ſtyli venerit ſcribam, malens audacis animi ſubire dicendo crimen, quàm tacendo puſilli. Et ſi auro, argento, gemmis, pretioſiſque muneribus*

*us carco, vel ſcypho aquæ ex præ-
benti amne hauſtæ animi mei læti-
& officia debita gratulationis oſten-*
Qui habet ſponſam ſponſus eſt:
us autem ſponſi, qui ſtat & au-
um loquentem, gaudio exultat
ter vocem ſponſi. *Hic ergo dies ju-
ſam vitam, & mores hilares poſtu-
Nihil nunc loci amplius eſt triſtitiæ,
e mordacibus curis, quæ cor edant &
nũ Tuum diversè trahant, huc atq;
impellant HEROS. Etenim novus
utumnus, qui coactis fructibus agri-
rum opes maximè auxit, novam etiã
ami ſociam, & omnium fortunarum
ortem, Illuſtriſſ.m & Excellentiſſ.m
oinam, LAVINIAM GON-
GAM bono omine Tibi apportat:
communi amicorum voto, multos
um feliciter annos exactura, pulchrâ*

faciet

faciet te prole parentem. Invenisti sponsam spes & fortuna valete. Invenisti Heros Heroinam, formâ admodum liberali, multo honestatis rubore suffusam, vultu modestissimam, moribus gratiosissimam: quæ sive incedat, in corporis confirmatione veneres; sive loquatur, in labellis suadæ medulla; sive rideat, in oculis charites; sive oret, in vultu pietas insidere videtur. Genas, quæ candore suo nivem omnem, omne ebur provocarent, lenis rubor imbuit. Dentium cælestem nitorem, labiorum distinguit purpura: & cum frons per semetipsam lacti sit æmula, magis tamen eam nigra superciliorum scriptura commendat. Non est formosa mulier cujus crus laudatur aut brachium, sed hæc, cujus universa facies admirationem singulis partibus aufert. ô tacito virtutis argumento tanto am-

lius amabili, quanto sereniori oculorum radio profulget.

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Quid multis moror? Heroina est omnibus numeris absoluta, pulchra, omnibus simulacris emendatior, casta, generosa, bona & beata, de qua nunquam ita magnificè quicquam dicam, quin virtus multis spatijs antevertat: quæ omnem mœstitiam ex animo Tuo profligabit, & insuper lucebit lumen magnum in antiquißima, illustrißima & magnificentißima familia Fyrstenbergica. Familia, inquam, quæ annis plus minus mille, magnanimos & bellicosos Heroës gloriosâ rerum ab illis præclarè gestarum magnitudine illustrißimos, continuâ serie produxit, & ad hodiernum usque diem divinâ favente gratiâ in majorum fastigijs perpetuò

venisori oculorum

iiens è corpore

roina est omni
bra, omnibu
s, generosa,
amita m
in virti
omnem
bit, &
nanti
entissi
lia, in
ma

petuò felices servat, de qu
pergrata fama nihil la
Non parva est voluptas
castellum, aut aliud ædifi
state venerandum, in
ita perdurare, ut neque
negruinam minetur. Iuc
templari pulchram & cl
rem, quæ quamvis vetust
ous immunem se à tabe
corruptione servat. Sed q
& delectabilius est ob ocul
bilißimam & vetustißima
Fyrstenbergicam, omnibus
expositam, tantis bonis sub
fulgentem, splendentem, flore
familiam orbi jure meritoq; n
atque celeberrimam, ego lau
diar, non injuriâ reprehendi
modo, quo ab Antalcida reprehe

fertur, *Spartæ Herculem laudare* ssus. *quis enim pro dignitate fami-* llam *laudare poßit, quâ nulla un-* Comitum *prosapia generosior, for-* ine *togatâ & militari prudentiâ* r, *nec bonis exemplis ditior extitit?* nt *Romanorum familiæ, quæ Grac-* um *vel Corneliorum domo insignes* fère. *Sileant Curtij, Decij, Fabij,* rcelli, *Scipiones, Catones, Cicerones,* ines, *Lentuli: de tuis verò laudibus* la *unquam ætas conticesset, Heros il-* rißime, *unum te præter cæteros poste-* um *fama prædicabit. Id enim quod in* is *sparsim ac singulariter extollendo* nmendatur: *hoc ferme totum in te in-* nitur.

mper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

uippe ob *dotes tuas eximias quas rerū* pa-

parens natura alijs invidisse, in te quasi prodiga videtur effudisse, in tui amorem atque admirationem ivit Italia, Hispania, Gallia, Germania superior, & inferior, *uno verbo,* tota Europa. *Sermo est cum* Hispanis? *suum te illi prædicant tuis ex virtutibus ornatum, Regium VELLERIS Aurei EQVITEM. Cum* Gallis *si quis de te loquatur, glorientur illi se non minus quàm Hispani vidisse audisseq́; te gravißimum & prudentißimum Romani Imperatoris LEGATVM.* Alemanni *te totum sibi proprium vendicant.* Belgæ *benignã* Theutonibus *litem movent, & mutuo benevolentißimi affectus certamine de Tua Ex.ª inter se contendunt. Utraq́;* Germania, superior & inferior, *suũ te vult esse patronum. Accurrunt* Bohemi *armatis precibus, & fortißimum armatæ*

 mili-

ORATIO culem laudare ... dignitatisimi... quã nulla in... generosior, for... prudentia ... torextitit ... qua Gra... o insigne ... , Fabij ... erones, ... dibus ... ros il... vofte... d in ... nd...

tiæ Ducē & COLONELLVM
proclamant. Atque ut videas glo-
n tui operis, vide fructum. Postquā
rata cum judicio Hispania, *bene ex-*
ata Italia, *oculis tuis usurpata & pe-*
us cognita Gal'ia, *peragrata* Anglia,
inhabitata Flandria, *exterarum Re-*
um non modo montes, sylvas, urbes,
ficia, turres videris: verum etiam
s, mores, instituta notaris, & cum ijs
domi observantur recte probeq́ con-
ris: Postquam ex tam varijs & pe-
ulosis peregrinationibus toties legatus
ieris, & Italus bellè moderatus, &
spanus suaviter submissus, *&* Gallus
corè gravis, *&* Flander probe vinctus:
st tot domi forisq́ exantlatos labo-
, post tot militares sudores, post tantā
tam fidelem operam augustissimæ do-
i Austriacæ *præstitam, hostium con-*
silijs

filiis exploratis, tuis occultatis: insidiis factis, aut vitatis: hoste emisso, vel retento: praeliis cautè commissis: castris loco commodo constitutis & munitis: illâ tandem militia relictâ aliam aggressus, PRESES es augustissimi Imperialis aulici consilii celeberrimus.

Cedant arma togae, concedat laurea linguae,

Credunt plerique militaria ingenia subtilitate carere, quia castrensis jurisdictio ferox, leges civiles inter arma silere jubet, & pleraque manu ita agit, quasi prudentiam fori nesciat. T.ª verò Ex.ª datū est, una eâdemque manu, librum & gladium tenere, interque senatores facile justeque agere. Ex libris, & arma & armorum jura didicisti: poterisque cum serenissimo Rege Davide grata mente dicere: Benedictus Dominus Deus meus, qui

cet manus meas ad prælium, & digitos
os ad bellum. *Præterea tempora cu-*
rum remissionumque tibi recte divisa
ut. Ubi conventus ac judicia exigunt,
vis, intentus, severus, & sæpius mise-
ors, omnia scire, non omnia exsequi:
rvis peccatis veniam, magnis severita-
n commodare: nec pænâ semper, sed
penumerò pœnitentiâ contentus es,
c tibi quod est rarissimum, aut facilitas
ctoritatem, aut severitas amorem de-
inuit. Integritatem atque abstinentiam
Tua Ex.ª referre, injuria virtutum fue-
. *Nec quicquam pulchrius existimo*
fastigio collocatis quam multarum re-
m veniam dare, nullius petere. Ser-
undus itaq; Tibi in hac re tuus mos est,
quid committas quod minus alteri
ctum velis. Sed dum Te dico senato-
m ordini, uni omnium gravissimo ac
nctissimo, ex optimi cujusque volunta-
te

a
r
p
'D
L
B
T
H
TZ
ho
har
gue

d prælium, & digit
ræterea tempora c
e tibi recte divisa
; judicia exigun
, & sæpius mis
omnia exsequ
agnis severi
semper,
ntentus e
ut facilius
rem de.
entiam
m fue.
issim
m re.
Set.
st.

te sententiaq; præsidere, omnia d...
tumne? magnus es de rebus magn...
ticeps secretorum Imperalium, a...
rum sacri Imperij conscius, socius ...
rum, negotijs par; uno verbo mag...
idque apud citimos, remotos. Quàm e...
alta mente Te, quàm divino consilio p...
ditum eum esse oportet, qui huic præst...
tyssimo senatui Imperiali Aulico præ...
dignus habeatur? Quo quid in orbe ter...
rum fuit unquā aut justius, aut incor...
ptius? utpote in quo sedent STRALE...
DORPHII, RECHII, NOSTITZ...
LAMINGERI, CVRTII, QVÆSTE...
BERGII, PRINCENSTEINII, ...
TRICHSTEINII, VOLCHENSTEI...
HAVGBITZII, VERTEMANNI, T...
TZII, &c, Itē Melandri, Hillebrandi, H...
holdij, Venselij, Heinij, Arnholdini, G...
hardi, Visenbackij & multi alij, (quos ...
quē enumerare foret) viri nobilissimi &...

ißimi, quorum de ore veneres fluunt,
tantam in eloquendo elegantiam ha-
t, ut comico sale ac lepore conspersi
. Quid istis proceribus eruditius? quid
itius? Cunctam Græcorum & Roma-
rum bibliothecam evolverunt, ut ne-
us, quid in illis primùm admirari de-
us. eruditionem seculi, an scientiam
ipturarum. Etenim eloquentiâ Tullio,
gumentis Aristoteli, prudentiâ Plato-
, eruditione Aristarcho, Didymo sa-
arum litterarum peritiâ comparandi
nt. Sed hoc mihi non sumo, ut singulo-
m senatorum dicendo laudes me con-
qui posse existimem. Virtutes illorum
oce meâ & stylo augustiores sunt. Pro-
de cum verbis eas explicare nequeam,
ltem quod omnes faciunt, religione &
lentio etiam atque etiam venerabor.
Iam quæ regio litteris & moribus Chri-
stianis

q
po
m
mi
rest
taq
Ac
pillo
re:
& ii

stianis exculta in terris inveniri potest, quo non tantorum virorum fama pervasit? Quis non illorum procerum prudentiam, sanctitatem, authoritatem judiciorum & sententiarum incorruptam severitatem non exosculatur? quos non propinquitatis vinculum, non necessitudinum conjunctio, non amicitiarum consuetudo, non munerum corruptela, non tortores aut minæ Principum, non, quod ait poeta, si fractus illabatur orbis, possit à recto dimovere. In hoc r... mo & sanctissimo senatorum c... miliam ducere, & omnium c... restim ductitare, quantæ virt... teq; gloriæ est: Ecclesijs, & m... Academijs atq; scholis esse pr... pillorum & viduarum causa... re: salutem periclitantibus, in... & inimicis metum & terrorem...

:*Imperij Romani commoda procurare,* *b interitu ac ruina eadem vindicare,* *uàm gloriosum, quàm meritorium est?* *Vident, opinor, omnes, quàm latus hic* *ampus aperiatur, in quo exultare oratio* *ossit. Verùm non tam copiam quàm in* *psa copia modum mihi quærendum esse* *rbitror. Virtutes tuæ, Generosissime* *naximi senatus Princeps, diversis natio-* *nibus notissimæ sunt, & has vel te invi-* *to amabunt. Patiaris te una, in quo illæ* *domicilium elegerunt. Nec solummodò* *tuas* Hispani, Itali, Germani, Bohemi, Galli, Belgæ. *sed etiam majorum tuo-* *rum, qui abierunt hinc in communem* *locum, virtutes grato animo veneran-* *tur, ut & defunctis præmium, & futu-* *ris detur exemplum. Non enim sine ma-* *gno Reipub. commodo, magnorum meri-*

torum

torum gloria memori mente conservatur, quia plures boni erunt, si gratia bonorum cum ipsis non cadat. Cum dignis fructus tribuitur, eandem viam capescentibus spes paratur. Hæc debemus virtutibus, ut non præsentes solum, & ante oculos positas, sed etiam oculis ereptas, & è medio sublatas colamus. Quemadmodum illi ita præclarè se gesserunt, ut non uni tantum ætati utiles essent, sed beneficia sua posteritati relinquerent: ita & quotquot sunt virtutum amatores, admiratores, & cultores, non unâ ætate gratitudinem suam metiantur. Majores tui, Heros, duces bello peritissimi, & cives in toga modestissimi, magnitudine animi & militari prudentiâ nobilissimi, beneficijs ac munificentiâ maximi, mansuetudine & misericordiâ cla-

ni, dando, sublevando, ignoscen-
nam gloriam adepti sunt, labo-
vigilando, aliorum commodis
sua neglexêre, in stramine
ve sæpius quâm lectulis somnum
frigus, æstum, imbres, nives, gran-
ventos pertulêre. Vt alij parta tu-
a poßiderent, ipsi sua deseruerunt.
njuges, parentes, liberos alij retine-
psi discedere à suis non recusarunt:
j luce atque vitâ hac suavißima diu
entur, suam ipsi in discrimen atque
ulum conjicere non dubitarunt. In-
ormenta bellica, gladios, acinaces,
ones, frameas, romphæas, enses fal-
s, hastas, venabula, bipennes, ar-
catapultas, crepitantes ignes, ma-
nas uncatas, machinas murarias: in-
tubarum clangorem & equorum hin-
us versati, Colubrinarum, Cannonũ,
balli-

RATIO
do, ignoscen
sunt, labo-
commodis
stramin
somnus
s, grat
rta
rum
cin-
nt:
ius
te

ballistarum, Smerilionum & fal
tonitrua cum audirent, musicam se
vissimam audire arbitrabantur. Ma
res inquam tui, Heros, feliciter pugna
runt, & omni armorum disciplina, & a
te bellandi veteribus illis Impp. qui or
terræ suum fecerunt, pares fuerunt: q
rum labor in negotio, fortitudo in per
lo, industria in agendo, & celerit
conficiendo, atque cæteræ virtutes I
ratoriæ & heroicæ non solum in
vicerunt, sed & omne mortale f
supergressæ sunt. Atque ita milit
laboribus tandem fracti, officijs fu
riliter functi, non ignobili tumulo f
sunt: virtus enim illorum imm
est, & humanorum operum custo
moria, quæ illustrissimorum Hero
perpetua est, in omnia illos secula
tos dabit. Quod ad me attinet, ne

aut tacere quæ de Tua Ex^a. sentio, aut nõ sentire ea quæ de illo debeant, qui tot heroicis virtutibus se notissimum & celeberrimum effecit. Sed utinam esset is meæ mentis captus, ut pro meritis tuis de te sentirem. Vtinam ea dicedi vis, ut expromere & effari aliquando possem quod semper sentio. Scio quæ de te concepi infinitum subsidere infra fastigium virtutum tuarum. Sciat & Tua Exª quæcunque in hanc chartã conjeci, longe esse minora ijs quæ concepi. Tam deesse scias animo verba, quam rebus animus deest. Sed eo jam unde huc digressi sumus, reuertamur. Sapiens quãuis sibi ipsi non displiceat se contentus, tamen habere vxorem vult: si ob nullam aliam causam, saltem vt colat exerceatque amicitiam conjugalem, ne tam magna virtus neglecta jaceat. Quemadmodum

modum si perdiderit Phidias statuam, illico novã efformabit: sic & vir politicus in luce Reipub. vivens, faciendarũ amicitiarum artifex, substituet aliam vitæ consortem, thalamiq; sociam in locum defunctæ. Si quis à latronibus spoliatus, amissa togâ, & vi aut furto ereptis vestibus, fortunæ suæ maledicere, & sortem suam deplorare malit, quàm circum circa prospicere, quomodo se adversus frigoris & hyemis inclementiam muniat, & aliquid reperiat, quo tegat scapulas, nonne tibi videtur morbo dementiæ corre ptus, & cerebrum ejus helleboro indigere? Quam unicè dilexeras uxorem, lucis hujus usurâ privatam extulisti, quã quam amore conjugali complectaris, dicere possis, TU MIHI SOLA PLACES. Satius est conjugẽ reparare, quàm diu flere: atq; ut hoc præstitit offic

debitæ pietatis, ita illud novi postulat amoris consortium.

Vis ne tibi similē generare ex conjuge prolē?
Uxorem primò quære tibi similem.

Si quæris, quomodo Excellentiss.^m conjugem bonis avibus inventam citò amicam & Tibi semper benevolam facturus sis? Seneca Philosophus monstrabit Tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine, si vis amari, ama. *Sed quis legē det amantibus? Major lex est sibi maritalis amor, qui omnes omniū amores, & amicitias superare debet.*

Spiritus est carus nobis, hinc carus amicus;
Cara viro conjux cur? quia carus amor.

Quid honestius levamen viro civili Reipub. gubernacula tenenti, quàm assumere conjugē prosperis, dubiisq; sociam? Cui tutò vitam tuam committas: cujus studiū & industriā erga te singularem plurimum ames: cui rerū omnium tuarum curam sine ulla perfidiæ dubitatione tribuas:

buas: cujus diligentiâ tu securus, i
utramq; quod ajunt, aurem quietè dormi-
as. Scimus genus humanum esse sociabile,
ipsius autem societatis principium conju-
gium. Sancta profectò est viri cũ muliere
legitima conjunctio. ubi enim pulchrè in-
ter maritũ & uxorẽ convenit, non tantũ
boni conjuges dici, sed etiã sancti homines
vocari possunt. Quis audebit Dei inventũ,
institutumq; reprobare, & quod nunquã
alicui obfuit, nisi adversario veritatis?
immò quis sufficiet ad enarrandã felici
tatẽ ejus conjugij quod sancta ecclesia Ca
tholica conciliat. Revera magnũ est m
sterium matrimoniũ, deserere patrẽ, q
procreavit, qui genuit, qui educavit:
linquere matrem, quæ concepit, quæ u
gestavit, quæ cum exquisitissimis do
bus peperit: valedicere parentibus,
tot ac tantis cumularunt beneficijs:
trahere se ab illorũ oculis & aspectu,

quibus diuturnus fuit usus, longaq; consuetudo, & conjungere se illi qui nunquam visus fuit. Quin & parentes cum hæc usu veniunt, non graviter & molestè ferunt, sed potius vicem suam dolent, si contrarium acciderit. Cum verò ingens numeratur dos, magniq; fiunt sumptus, gaudio delibuti incedunt, & lætitiâ exultant. Mysteriũ hoc esse Apostolus dicit in Christo & Ecclesia. Dominus enim noster Iesus Christus quasi patrem deseruit, cum de cœlis in terram descenderet: & matrem repudiavit, id est, Synagogam, propter infidelitatem: & adhæsit uxori suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ, suntq; duo in carne una, id est, Christus & Ecclesia in uno corpore Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Præmium enim est nuptiarum, ex duobus unam

car-

carnem scilicet prolis fieri. Hinc grata parentibus soboles rectè canit.

Sũ tua care pater, tua sum caro mater: in una
carne mea duo vos estis, & una caro.

Deinde ex sacris literis satis superq́ constat, nihil esse ab Orbe condito matrimonij Sacramento antiquius. Quo enim die vir creatus est, eodem die nuptias in Paradiso terrestri celebravit. ô sacrum Sacramentum matrimonium, à quo nascitur totum quod habemus bonum in rebus humanis! Hinc illud Augustini: quod est cibus ad sanitatem corporis, & sustentationem individui, hoc est legitimus matrimonialis concubitus, ad salutem conservationem generis humani. *etiam in utroq́ sexu alterius regentis, alterius obsequentis, amica quædam & humana conjunctio. Vnde Conjugium bonum est,* non propter solam filiorũ creationem, sed propter ipsam etiam

turalem in diverso sexu societatem. *Inter prima vero conjugij beneficia, est memoria in filijs, qui mortuis succedunt parentibus, superstes. Nam secundũ Pythagoram, quando pater ex hac vita discedens, filiũ hæredem in domo sua relinquit, non potest dici senex mori, sed in filio repuerascere, cum & carnis, & opum, & memoriæ filius paternæ hæreditatem adeat. Ita providit ille maximus mundi parens, cum tã rapaces cerneret fati minas, ut damna semper sobole reparet novâ. Equidem non mediocre munus est Dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Mea est sic ratio, & sic animum induco meum, conjugatos magna laude, gloriaq́ dignos, non quia liberos gignunt,* sed quia honestè, (*ut loquitur B. Augustinus*) quia licitè, pudicè, socialiter generant, & genitos pariter, salubriter, instanter educant. *Domum à fundamentis*

mentis erigere, ædes secundum a
ctè, & feliciter exstruere, pauc
destruere verò & demoliri, multor
vitius agricola, rerum naturalium
agriculturam pertinentium non aa
peritus, potest agrum aratro proscin
semina in terrā projicere, projecta o
do fovere, & maturitatem eorum
expectare: sed messe collectâ, & fru
in horreo & granario repositis rect
ad suā & proximi salutem promove
hoc opus, hic labor. Fœmineâ volu
uti, boni & mali possunt: sed liber
creare, & in lucē editos convenient
mento bene nutrire, tenellam ætat
neq; sibi, neq; alijs utilem rectè erudi
ex ignorantiæ tenebris ad doctrinæ lu
educere, ut sibi & alijs luceat; magn
est, magnus honor, magnum decus.
non posse in æstimationem venire co

da immensa rectæ educationis, cujus bene jactæ fundamento nititur salus patriæ, dignitas & splendor veræ gloriæ, publica temporum felicitas. Hic pro re nata, non possum non omnia bona dicere de Domino meo, generosissimo Alberto, Comite de Fyrstenberg, & laudare fortunas tuas, Heros illustrißime, qui illum filium habes ita natum, altum & educatum, ut videatur factus ad omnia. Nunquam certè incidi in meliorem agrum, sive jacio semen, sive colligo fructum: nam ita sitit, ita imbibit, ita semen cerebro exceptum fovet, alitq́ ad frugem, ita frugem tandē profert, idq́ sine occatione & subactione duriore. Manet illum corona, si constanter perstiterit in hoc ad virtutem & sapientiam gradu: si perrexerit in via, quam pauci calcant, Deo & pietate ducibus, per intemerata vestigia majorum,

& inof-

& inoffenſo pede ad calcẽ decurrerit. Illi ſapientia contingat: mihi ſapere. Pares erimus. Nuper cum familiari ſermone tentarem generoſam ejus indolem, ad omnia ſumma natam, fingebam neſcio quæ irati patris ſigna, offenſi & abalienati animi indicia, novam ipſi matrem obtrudere. Ibi magni patris non degener filius juſtâ irâ correptus, quam ſanguinis tinctura, & purpurea facies prodidit. Quò vadis, inquit, lingua, quæ tam infeliciter philoſopharis? Quò ferris? quò raperis? Neſciebam hactenus, te eſſe tam imperitum philoſophum. Nam unde tu odium patris, & animum mihi ſubiratũ fingis, inde ego magnitudinem, & puritatem paterni erga me amoris evidentiſſimè colligo: quippe non odio, ſed magno mei amore compulſus pater, novâ matre & omni laude ſuperiori me beare vult. No-

nquit, illud sapientis, væ soli, *amat ater tenerrime, & propterea cupit si- r alios ejusmodi liberos mei similes ci. Equidem non alio, inquit, nomine gis glorior, gratulorq́ felicitati meæ, im quod sperem per Dei gratiam, ex nova, excellentissima, & quantivis tij matre, novos me fratres adeptu- n: nunc verò pro tempore non est par- nostræ familiæ calamitas quod fratri- s caream.*

q; adeo nostram gentem saturnius orbam
Reddidit, ut me stirps dependeat omnis
ab uno.

, Mecænas optime, amplam lætitiæ se- tem, & benignā tibi gratulandi mate- am filium habenti tali ingenio prædi- m: qui postquam me tam alacri & pru- nti responso mirum in modum exhila- ffet, cæpi nobilissimum ejus ingenium m civiliter doctum, magis magisq́ jure meri-

ntis, væ soli, amo
propterea capie
liberos meos similes
o, inquit, nomin
felicitati m
Dei gratiam,
& quant
tres adep
non est pa
uod fratr

us orba
at omn

titie
mat
rad

meritoq́ admirari, ample
additis promissis, fideq́ da
des ubiq́, & apud omnes, a
tet, grata lingua deprædic
xit aures Pamphilus; & e
isto officio, bonam tibi repo
efficiam enim, Deo me bene
vera prædices. Hic iterum n
perfusus sum, ob tam felix
mentis responsum. Percont
in quem finem fratres sibi op
fine, inquit, tu tibi amicos p
hoc unum scio, me non aliam
fratres optare, nisi ut habea
bus certare beneficijs, & pro
opus, vitam profundere poss
beam, quibus cum omnia me
animæ, & fortunæ bona co
queam. Taxiles unus è numer
die, occurrens Alexandro, sic

Provoco te, inquit, non ad pugnam, ad bellum, sed ad aliud certaminis s, Si inferior es, à nobis accipe benem: sin superior, nobis benefacito. *Alexander: Atqui, inquit, ob hoc n inter nos certandum est, uter benendo superet alterum. Et humanißimplexus illum, non solùm non spoliasitione, sed auxit etiam. Hoc regium umen, Patrone eminentißime, filio Comiti Alberto vehementer placet: patietur se vinci officijs, quæ ab anifiunt generoso. Nunquam certè poores feret in certamine benevolentisaffectus. Magna pars bonitatis est le fieri bonum: hujus rei sibi conscius vult, & tota mente vult. Scitum & veterum sermone tritum proverm, quod panis sit odor odorum, sal saaporum. Ego addo hunc Tuum filiũ,*

amo-

amorem esse amorum. Mei voti caput est, ut bene valeat, & supra annos suos litterarum dote ditescat. Quod si te vel picta, vel ficta corporis imago plurimum oblectat, quæ propius ad veritatem faciem tuam repræsentet, quantò magis delectare filius debet, qui te non tantum ore, sed etiam animo refert?

Nemo potest animi mores effingere pictor:
At tamen hæc mores monstrat imago tuos.

Cum porro expiscarer ejus sententiam de nuptijs, cupiens quid haberet animi Pamphilus cognoscere, rogavi quomodo ab Excellentiss.[a] sua matre vellet tractari? Primũ inquit, si noluero, non respondebo amplius. Liber sum; quis me coget? Nihilominus, quia video te esse curiosum, & rerum novarum cupidum, satisfaciam tuæ curiositati: sed ita, inquit, ut tibi ad mentem & memoriam revoces, quid

Porus

Rex Indorum, Alexandro Magno
udisse fertur, ex cujus responso judi-
quid facto opus sit. Porus Rex, ab
andro devictus, cum ab eo post pu-
ogaretur dicente, Quomodo te tra-
? Regaliter ait: Rursus subjicienti
candro, Nũ quid etiã aliud? omnia,
it Porus, complectitur hoc verbum,
aliter: ita & ego, quia me rogas quo
o velim tractari ab Excellentissima
matre? Respondeo, Heroicè. Nec
ras aliud: omnia enim votiva, sub
voce comprehensa sunt. Deus bone!
nini homo quid præstat? stulto intelli-
s quid interest? hoc modo sine invidia
dẽ inveniet, & generosissimã matrem,
nesq; bonos facilè sibi conciliabit. Cum
es quidã filium adolescentulum ad So-
tem misisset, ut indolem ejus inspiceret,
pædagogus diceret: Pater ad te, ô So-
cra-

n
L
a
L
&
qu
hoc
sau
nibi
illum
viar
lem cr
iter pe
empla
in supe
nolo ge

crates, misit filiũ, ut eum videres: tum So-
crates ad puerum; Loquere igitur, inquit,
adolescens, ut te videã. *significans ingeniũ*
hominis non tam in vultu relucere, quam
in oratione, quod hoc sit certissimum mini-
meq́ mendax animi speculũ. ita & meus
Dominus, Comes Albertus mecum subin-
de loquitur, ut à multis videatur. Durus
Demea essem, nimis rusticus, inurbanus,
& inciuiliter doctus, si politissimã, & ex-
quisitissimã ejus indolem non adamarem:
hoc unũ certè mea spectat industria, the-
sauros ipsi virtutis ut aperiam. Equidem
nihil magis in votis habeo, quã compendio
illum, nouâq́ methodo, sine ambagibus, &
viarũ triuialium circuitionibus, ad ciui-
lem eruditionem manuducere. Longũ est
iter per præcepta, breve & efficax per ex-
empla. *Nolo illũ laterunculis ludere, nolo*
in superuacuis subtilitatẽ ingenij ejus teri:
nolo generosam ejus indolem argutijs com-
minui.

minui, & debilitari: nolo illum quæstiunculas vafras nectere, quæ nec cupiditates demunt, nec temperant: nolo illum verba captiosa, verba dubie cadentia consectari, quæ alijs molestos, intempestivos, & sibi placentes faciunt. Nolo illum torquere & macerare in sophistarũ quæstionibus, quas subtilius est contempsisse, quam solvere. nec enim quicquã minus convenit, quàm subdola ista calliditas, animis conantibus magna. *Volo, inquam, relictis ambiguitatibus, & syllogismis, & cavillationibus; & cæteris acuminis irriti ludicris, antiquam illi sapientiam familiarem reddere, quæ nihil aliud, quam facienda & vitanda præcipit. Nolo simplicem illam, & apertam virtutem, in obscurã & solertem scientiam verti. Doceantur scholastica ingenia, disputatiunculis inanibus subtili-*

tatem

tatem vanissimã agitare, implicita solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere: doceantur abstrahere hæcceitatem ab hoc, quidditatem à quo? materialitatem à materia, formalitatem à forma, animeitatem ab anima, menseitatem à mensa, cyatheitatem à cyatho, carnalitatem à carne, corporeitatem à corpore, lentulitatem à Lentulo, porculationem à porcis: *Spiritus chymicorum non concordat cum spiritibus sophistarum: qui tamen aliorum nugis dant veniam, ut suis distillationibus otium impetrent, per quas helleborum parant cerebrosis. Alphonsus Arragonum Rex commemorantibus quendam ex Hispaniæ regibus dixisse*, non decere principes viros scire literas, *exclamavit* eam vocem bovis esse, non hominis. *Verùm enim verò non omnes literæ conveniunt principi, sed eæ quæ Politicen tradunt; aut Ethicen, quæq;*

rectè ac secus gestorum exempla, quod facit historia. Nescire quid anteaquàm natus iis acciderit, id est semper esse puerum. *Discant alij quæ locum tantummodò habent in pulvere scholastico, noster Comes discet ea quæ necessaria sunt homini victuro in luce reipublicæ. Quærant scholastici* utrum universalia sint extra intellectum necne? Utrum Ens respectu Substantiæ & Accidentis sit genus univocum, vel æquivocum, vel analogum? Utrum esse essentiæ distinguatur ab esse existentiæ? *noster Politicus futurus discat jus naturale, gentium & civile, leges, plebiscita, senatusconsulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum. De jure belli & pacis, de justicia & pietate mihi disputet, de frugalitate, de pudicitia utraq́ue, & illa cui alieni corporis abstinentia est, & hac, cui sui cura. Discat honores fascesq́ue*

non

non purpurâ aut virgis adduct
fere, sed ut amicis propinquisq;
bus civibus, omnibus deinde n
paratior utiliorq; sit, propiùs p
scat terras omnes tanquam su
suas tanquam omnium: sic v
sciat aliis senatum: & natur
nomine gratias aget. Disca
habuerit, nec sordidè custodir
gè spargere: discat continent
luxuriam coërcere; gulam
iracundiam lenire, ærumna
gemitu suo, felicitatem sine
paucis dicam, discat quod
non scholæ, sed vitæ. Schola
leviter tractata delectant; con
propius admota, fastidio sunt
nax in Herminum Peripatet
semper in ore habebat decem
Categorias, ita lusit: Equidem

Hermine te non indignum decem Categorijs. *Proponant alij lusoria: ingenium sapientiâ validum habituri, & reipublicæ consulturi, non vacent puerilibus ineptijs,* quibus nec literatior fit quisquã, nec melior. *In tanta temporis egestate non tractent supervacua; qui etiamsi multum superierit ætatis, parcè tamen dispensabunt; ut sufficiat necessarijs. Studendum est, non ut plus alijs sciamus, sed melius. Paucis opus est ad bonã mentem literis.* Cornelius Tacitus in vita Julij Agricolæ meminit, solitum Agricolam narrare se in prima juventa studium philosophiæ acriùs, & ultra quàm concessum Romano ac Senatori hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset, scilicet sublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius quàm cautè appetebat: mox mitigavit ratio & ætas: retinuitque, quod est

est difficilimum, ex sapientia modum.
Et gaudium, & solatium mihi in literis, quia aliquid disco, ut doceam. Vt ex studijs gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. Quod si ea lege atq; conditione sese offerat sapientia, ut illam inclusam teneam, nec Comiti Alberto ejus copiam faciam, non patiar mihi ipsam pro conjuge obtrudi, sed aspernabor invidam. quippe ita aut Platonicus, aut Stoicus sum, ut nullius boni sine hoc comite jucundam possessionem esse putem. Verum paucis philosophandum censeo, cum quibusdã, & ijs non indoctis, totum hoc displiceat philosophari. Ego ita fugiam, ne præter casam. Satis multum temporis sparsimus, incipiamus nunc vasa colligere: in oceano navigavimus, in portu, vela contrahamus.

Gratulentur ergo T.ª Ex.ª alij corporis bona; sanitatem, robur, formam virilem, aspectus majestatem & oris decorē, totiusq́ corporis symmetriam absolutissimam: gratulentur alij, animi bona; mentem sanam, in corpore sano: in corpore robusto, magnitudinem animi, fortitudinem bellicam & togatam, acres sensus & splenditas actiones, promptum ingenium, & mirum dicendi leporem atq́ elegantiam, integritatem vitæ, & in dictis ac factis perfectionem: gratulentur alij fortunæ bona; splendorem & antiquitatem generis, laudem & gloriam majorum, educationem in domo regnatrice, multiplicationem honorum & dignitatum, felicitatem conjugij, nobilissimam filij indolem, omnium virtutum capacissimam: ego gratulor hæc omnia ita collocata in uno, ut unus magis ornet

omnia,

omnia, quàm omnia unum. De quibus si omnium sensui satisfacere vellem, prolixè hîc gratularer, sed malui meo sensu id breviter facere, Timantē imitatus; quodq́ exprimere penicillo non potui, velo contego. Satius enim est verecundè tacere, quàm laudes tuas minus dignè personare, quæ nostræ omnino paupertatem orationis reformidant. Et scio quàm nolint laudari ij, qui soli laudem merentur omnium.

Contemnit laudē virtus, licet usq; sequatur
Gloria virtutem, Corpus, ut umbra, suum.

Habet hoc T.a Ex.a commune cum magno Catone. Tibi studium modestiæ, decoris, sed maximè gravitatis atq́ constantiæ est, non hæresi cum hæreticis, non schismate cum schismaticis, non seditione cum seditiosis, neq́ rebellione cum rebellibus; sed cum Catholicis fide Catholi-

câ, Apostolicâ, Romanâ: cum strenuis virtute, cum modestis pudore, cum humanis comitate, cum civilibus affabilitate, cum urbanis civilitate, cum prudentibus sagacitate, cum innocentibus abstinentiâ certas: esse, quàm videri, bonus mavis: ita, quò minus gloriam petis, eò magis adsequeris. Finio tandem votorum plenus, quia omnis gratulatio voto obsignanda est, optoq; ut splendidissimum hoc matrimonium feliciter initum, ad majora nitentibus decus ac robur sit. Faxit Deus Opt. Max. ut ista quidem corporum tam egregia copula, in multos annos quàm longissimè prorogetur, sed tamen sitis animorum conjunctione longè feliciores: Tuq; Comitum Excellentissime, tuam hanc gratiosissimam uxorem unicè diligas, hæc verò te mutuo & pari amore dignè observet.

Uxo-

Uxorem vir amato, marito pareat vxor:
Conjugis illa sui cor, caput ilie suæ.

Vivatisq; mirâ concordiâ per mutuam caritatem, & invicem vos anteponendo, pulchrâ brevi tempore prole potiamini: inq; subsidium & solatium simul augeamini liberis, qui majorum pressa vestigia cernant, per eadem feliciter currant: qui maximas æmulando parentum laudes amplificent, clarißimum & nobilißimum utriusq; vestrum genus etiã, si fieri potest, clarius & illustrius efficiant. Opto in eo statu sint Va. Exa. quô semper beneficia distribuant, nunquam desiderent.

Dij tibi dẽt Excelse Comes, quęcunq; mereris,
Et rata perpetuò quæ tribuêre velint.

AD

Ill.um COMITEM

URATISLAUM

ejusq; generosissimũ cognomen

FYRSTENBERG.

id est--Princeps Mons--*seu* Mons Principis.

DISTICHUM.

PRincipe *nil* majus, *nil* monte *est* altius, *eja*,
Uno *cuncta tenes* grandia, celsa, *sono*.

ALIUD.

CÆSARIS atq; Jovis *speciem geris* undiq; *signat*
Princeps Cæsareum, Mons Joviale *decus*.

HISTORIA.

MARS Pragæ *humanũ cupiens assumere nomen*
Dixerat, *en quoq;* Mons Principis *esse volo*.

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS à Voburg.

VATICINIUM.

Ad eundem Illustriss.um

URATISLAUM FYRSTENBERGIUM.

Inclutus es PRINCEPS virtute ac pectore: quid ni &
ORDINE ? fiet, erit, nomen in omen ijt.

JOANNES PHILIPPUS à Voburg
Præpositus Münsterianus in Granfeld
residentiæ Delsbergensis. &c.

AD

LAVINIAM

Ex Inclyta GONZAGÆ familia.

Excellentissimi Herois,

URATISLAI

Comitis à Fyrstenberg &c.

SPONSAM.

SOl favet, est tempus generosas pangere vites,
Et læta traduces multiplicare manu.
Principum in excelso LAVINIA VINEA monte
Plantata, en, dextra cuncta moventis adest.
Ex Latia venit hæc LAVINIA vite Viennam.
Austria sic floret, LAVIaq; VINA feret.
Posthac non metues gelidum boream Austria, flabit
VINA LAVANS Zephyrus, vitibus aura pia.
VINVM C.O.S. LArgè genialis VINEA prome,
CONZAGÆ vitis viva sit uva tibi.
LAVrea, LAVS, LAVrus, LAVINIA, VINEA, VItis
Principum eris Colli vivida, vive, vire.

CHRISTIANUS LAURENTIUS ab ARUP,
SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Vien. Decan. S. Cæs. Majest. à Consilijs, &c.
demissæ gratulationis ergo.

MENDARUM EMENDATIO.

Pagina 2. linea 1. officium. 6. 17. Cruciferum. 8. 12. Ebnicorum. 8. 12. Gramatica. 11. 18. balana. 74. 9 benevolo. 99. 26. pro Heraclito ridendam, lege flendam. 126. 10. pro vipera, lege viperea. 134. 20 pro gutturem, lege guttur. 141. 12. nullius. 147. 19. philosophi. 157. 24. pro injuria, lege injuriam. 158. 9. luculentam. 160. 20. detraxeris. 161. 6. vitam. 161. 24. nolo. 162. 15. illum. 163. 19. Finlandicam. 22. sum. 26. pro quod, lege qui. 164. 26. contra. 169. 26. circumcisionem. 172. 9. profanum. 180. 25. I nunc. 185. 41. pro Ecclesia Romana, lege Ecclesia Romana. 189. 12 pro feror, lege ferox. 19. asperfi. 208. 8. proavos. 26. regina. 233. 14. crepitus. 18. comedant. 298. 2. anguilla. 314. 1. pro uvum, lege unum. 2. pro illis, lege illi. 410. 25. pro Scoppio, lege Scotto.